

MARIAE VIRGINIS PVRISSIMAE DEI. MATRIS. VITA

HERCVLE. VINCEMALA
IVLII. FILIO
MEDIOLANEN. COLLEGII
IVRISCON. AVCTORE

Ex. Privilegio. Regio




MEDIOLANI.
Apud Paulum Gottardum Pontium.
CIϽ IϽ LXXXII.

MARIAE VIRGINIS PVRISSIMAE DEI. MATRIS. VITA

HERCVLE. VINCEMALA IVLII. FILIO

MEDIOLANENS. COLLEGII IVRISCON. AVCTORE

Ex. Privilegio. Regio



MEDIOLANI.

Apud Paulum Gottardum Pontium.

CIↃ D LXXXII.

IOANNI. FONTANO MEDIOLANI ARCHIPRESB.

HERCVLES. VINCEMALA. S.

PRIVS, QVAM *libellos, quos abhinc biennium de purissima Virgine* DEI *matre edidi, absoluerem, Petri Galesinii, Protonotarii Apostolici iudicio eos permiseram. Ille, uia, qua ingrederer, insisteremq., patefacta, tumprimùm ad illud inceptum maxima cupiditate me incendit. Immò eius uiri iudicio, qui omnium iudiciis, et praedicatione floret, cursus mihi ad scribendum apertus est. Ac totum me, et quicquid habui uirium prorsus in eam scriptionem contuli. Scriptor candidissimus, qui sacras res dicendi ornamentis, et orationis ubertate quotidie illustrat, ab aliis cogitationibus retractum, et amotum animum meum ad unam hanc deflexit. Itaq. ipsi huius mei instituti duci, et auspici maximam semper gratiam habebo. Vbi enim ei labori, ad quem ille me excitauit, paullatim assueui, adiutrice Virgine Sanctissima, data*

est mihi crescendi copia; et ad hanc exercitationem uoluntas mea indies mira incitatione, et alacritate propensior accessit. Praeterea, eademmet opem ferente, animus meus exauctus, et eo ardore captus est, quem restinctum, aut intermissum nemo unquam uidebit. Etenim augusta Angelorum imperatrix desideriis nostris eas admouet faces; quae, uel si in frigidum, et maximè conglaciatum animum inferantur, integram flammam seruant, et semper ardentes efferuntur. Sacrata haec Regina eorum, à quibus imploratur, menteis piarum exercitationum seminibus conserit, suauissimoq. perfundit rore; deinceps moderato, rursusq. uehementiori calore alit, et educat; ad maturitatem deniq. illarum fruges perducit. Quapropter ego de ipsa semper aliquid meditabor, et scribam, non ueritus, quin ex inculto, et sterili etiam solo, modò ea sulcos illic altiùs impresserit, fructus uberrimè prouenire possint. Interim eò maior spes mihi accessit, quò feliciùs pro ea labores suscepti cedunt, et certiores fructus reddunt; nec ad dubium euentum unquam impenduntur, incertosue excipiunt casus. Nunc igitur diuinissimae huius Virginis uita proximo anno à me conscripta, iis, quae ad sacram

theo-

theologiam pertinent, cum Laelio Bisciolo Mutinensi, è societate IESV, *pio, ac pereru dito uiro, communicatis, in lucem exit. Neq. uerò, ut rei grauitas ferebat, quod nec ab omnibus omnium mortalium ingeniis unà collatis, nec à caelestibus ipsis cumulatè satis praestari poterat; neq. eo orationis ornatu, quo cupiebam, sed quo potui, patronae meae historiam complexus sum; nec uirium infirmitas desiderium meum potuit retardare. Fore autem, uir praestantissime, confido, ut, si tu libellum hunc tuendum susceperis, maximam ei nomine tuo concilies dignitatem. Quocirca nullam à te moram, quin illi patronus aduenias, interponi oportet; ad quem idipsum maximè spectat; quando in amplissimo, sanctissimae huius matris nomini aedificato templo, insigni sacerdotio praeditus, continenter eam precaris; puraq., et integra mente, ac uoce castissimum eius filio quotidie cultum adhibes. Quin templum idipsum ad* MARIAE *sacratissimae honorem à Mediolanensibus* DEO *extructum, dicatumq., quod non tam magnificis aedificiis cinctum, quàm sacri Antistitis religione ornatum est, singulis horis frequentas. Libellum autem meum lubentiùs complecteris, postquam ab eo, qui te sem-*

per oculis, animoq. tenet, et quem tu unicè diligis, proficiscitur. Beneuolentia enim tua ubinam in me claudetur? cui res tuae omnes prorsus patent? ac nihil adeò reconditum, retectumue est, quod mihi à te promptum, paratumq. esse non cupias? etenim pulcherrimi illius doni, quo me tibi adiunxisti, memoria nunquam excidet. Ac Virgineae uestis, tenuissimis filis contextae, et colore maximè decoro nitentis particulae, quam liberalissimè mecum communicasti, nullam rem contra posse comparari certo scio. Tantam tibi, Fontane, gratiam habeo, quanta maxima cogitatione, et animo percipi potest; neq. de hoc sermo unquam conticescet meus. Ac preciosum donum plenissimo uenerabor cultu, studiosissimeq. adseruabo.

Itaq. tu, uir religione maxima praedite, qui et Virgini addictissimus, et eorum, à quibus ea colitur, acerrimus es defensor, laborem hunc meum, qui tecum animo, et uoluntate coniunctus sum, tuere. Nam DEI *matris ipsius rem suscipies, ad quam prorsus spectat quicquid hinc laudis potest excitari: nec est, cur mortalium ullus ex ea laude quicquam audeat decerpere, cuius fundamenta à Regina caeli posita, sola eiusdem clementia nituntur. Neq. uerò ad ul-*

lam

lam aliam rem in hisce scriptionibus consilium meum proponitur, quàm ut per sanctam Virginem mihi filii misericordia euocetur, et concilietur gratia. Quod studium ne intermittam, uel maiorum meorum exemplis, quae ad imitandum mihi exposita sunt, maximè impellor. Eorum pietas, quam mihi parens meus praeclara recordatione commendare nunquam desinebat, menti planè impressa est. Eorum memoria, quam assiduis hortationibus, quib. me ad imitationem excitaret, ille prosequebatur, nunquam poterit restingui. Tametsi enim me illis non adaequari posse intelligo, tamen eorum uirtutem si planè proiicerem, quouis essem dignus malo. Si eisdem uestigiis quae illi fixerunt, pedes imprimere, maioresq. cursu comprehendere non licet, paullatim eos subsequi saltem studebo; à quibus religionis, pietatis, liberalitatisq. christianae expressissima signa relicta sunt; qui in iis, quae ad diuinum cultum spectabant, liberales, familiam suam non tam honore, et gloria, quàm pietate, ac submissionis laude ornare, et pium posteris suis exemplum prodere conati sunt. Nae ego maximam culpam sustinerem, si auiae, ac proauiae meae paternae, pudicissimarum, sacrisq. litteris eruditarum

tarum mulierum, et non tam nobilitate, quàm humilitatis, caritatisq. uirtute florentium memoriam obliuio ulla ex animo meo unquam expelleret. Patronam igitur meam omnibus precibus orabo; ut eodem humilitatis studio me incendat. Nam, ubi ea uirtus radices egit, illic nulla ad uitiorum stirpes eiiciendas mora infertur. Qui humilitatis galeam induerit, hostem efferum, contra hominum genus copias explicantem, et infesta signa inferentem, paruo negotio dearmabit; eiusq. è manibus arma effluere, et excidere statim sentiet. Sanctissima DEI *mater luce sua oculos nostros perfundat; ne illos ueritatis prospectus effugiat, neue cupiditatum accensi ignes frustrentur. Cupiditates nostras ipsa, uelut purissimus, et frigidissimus amnis refrigerare, ac restinguere potest. Ac ex ea, uelut è fonte, qui nunquam exhauritur, riui libero cursu ducuntur, qui non solùm animos nostros irrigant, sed etiam secum maximam uim seminum afferentes, è quibus deinceps omnes uirtutes subcrescant, conferunt. Quòd si non nunquam labores, et exercitationes meas aliquis Auster circumflat; illum, Virgine inuocata, sine mora diflatum uideo. siquidem misericordia ex illo monte in lacrymarum*

hanc

hanc uallem decurrit. Interim ego, Petro Galesinio, qui uerae eloquentiae simulacrum nunc tuetur, et sustinet, iudice meorum scriptorum candidissimo, ac te, uir grauissime, illis defensore adueniente, de Virgine scribendi nullum faciam finem: nunquam hoc officii iter interrumpam; nullusq. sine scriptione nostra annus futurus est. Vale Mediolani. XIII. *Kal. Martii.*



AD. VIRGINEM ADVOCATAM

AVRORA, aeterni pulcherrima nuncia Solis,
Purpureo adducis lumine, et ore diem.
Siderea, insignis Virgo, praecincta corona,
Illustras nostrum lucida stella mare.
Puris elucens radiis, uestitaq. Sole,
Candidior, quàm Sol, lucidiorq. nites.
Pulchrior et Luna, nati et suffusa nitore,
Ornantur terrae, luce oriente tua:
Ex illis oculis duo fulgida lumina flagrant,
Quae irradiant, Solem te iaciente nouum.
Suppliciter palmas tendo ad te, maxima Virgo,
Meq. tuos sterno subditus ante pedes.
Quae caelum insigni conspergis lumine, caecam
Mentem, animumq. meum funde nitore tuo.

CAELI. AETERNO. REGI. ET MATRI. VIRGINI. PERPETVAE. VOTA. OMNES. NVNCVPENT. ET. LIBERALI. SOLVANT. MVNERE.

MARIAE VIRGINIS PVRISSIMAE DEI. MATRIS. VITA

HERCVLE. VINCEMALA. IVLII. F.
MEDIOLANEN. COLLEGII
IVRISCON. AVCTORE.

DVM aegritudinum procellis huius uitae fluctus turbulenter iactantur, et maximis aestibus reiecti mortales nullum queunt cursum tenere; dumq. tempestatibus in alto nauis nostra fluitat; Virgo illa, quae caelesti fulgens facie, splendore suo omnia perfundit, piè inuocanda est. Ea oculos illos, è quibus candidi relucent soles, illuc, ubi castè colitur, et ex animo imploratur, repente conuertit: laboresq. nostros, et pericula è caelo spectans, commotas, et excitatas tempestates sedat, miramq. affert tranquillitatem. Quin eàdem ornatu

clarissimis stellis distincto, ac purissimo uestita lumine iucundissimam nobis praefert lucem. Stellae huius nitor, cùm in scopuloso, et inflato mari aduersa uterer tempestate, atq. antennis dirutis, fracto malo, conscissis uelis, ex oculis lux paenè esset praerepta, mihi splendidè effulsit; eiusq. imago semper incurrit in oculos. Itaq., quando, uehementibus Austris, quibus circunflabar, intermissis, mitissimus, ac lenissimus uentus mihi tam feliciter, et placidè ab ea flauit; meae cogitationes huc omnes cõuertuntur; huc mea studia redeunt; ne illius misericordia partae salutis memoria unquam elabatur.

virgo nostri maris stella.

Cur enim effluat ex animo, cur illa perpetuò in mente non resideat, à qua nunquã opem frustra imploraui? cuius nunquam in me clauditur benignitas? cuius nunquam excludor liberalitate? quae me afflictum, et prostratum sua pietate saepius extulit? Equidem, ubi dextra, sinistra ab hoste nostro circumuenior, et grauem scelestus mihi pugnam dat; in huius augustissimae triumphatricis, cuius ille pedib. subiectus conteritur, castra refugio. Siquidem ibi legiones pulchris armis prae-

ditae,

diuae, uerſicoloribuſq. ſignis fulgẽtes me excipiunt: ipſaq. imperatrix me nitenti, caelatoq. auro clypeo tegit. Strenuae, et inuictae generis hominum patronae, quae me tam effusè donis liberalibus cumulat, quod donum contrà comparem, non cogitatione fingere, non animo complecti, non ſenſu concipere poſſum. Etenim quid à mortali dignè ei rependi poteſt, quae caelum luce, caeleſteis gloria ampliſſimè ornare, augereq. poteſt? quae plurimum diuinis opibus pollens, bonis omnibus praedita, Angelorũ regina nulla re noſtra indiget? Sed in genus hominum beneficiorum conferendorum tam ardens eius exſtat ſtudium, ac deſideriũ; ut nullam unquam bene merendi ſacietatem ſumat. Iis ab ea beneficiis ornamur, quorum memoria non tempore, non die definienda; ſed animo impreſſa, incluſaq. commendanda eſt aeternitati. Lux puriſſima, quae terris primum caeli flagrantem ſolem intuliſti, quàm latè ſplẽdorem tuum diffundis, quàm longè differs? Fons luculiſſime, ex te riui aquis chryſtallo ſplendidioribus trãſlucentes latiſſimè manãt; ex te miſericordiae amnes

mortaliũ praeſidiũ MARIA

in immensum bonorum omniũ mare decurrentes ubertim, et liberè fluunt. Eo in mari nauigantes, quò se in altum longiùs mittunt; eò faciliùs leni reflatu referuntur in portum. Patenti uia ad salutem ex hoc portu proficiscimur; neq. ibi quisquam naufragio perit. At uerò eodem ex alto incolumes reuehimur: maximo imbri, turbinibusq. inter fulmina, ac tonitrua mare tutum praestat, et tanquam portum aliquem clausum tenet. Clementissimae mortalium aduocatae, quae ad opem nobis ferendam ultrò sua omnia studia confert, nihil optatum magis accidere potest, quàm si à nobis latus, et patens excitandae misericordiae campus, in quo eius liberalitas excurrere, et liberè queat uagari, offeratur. Quaprópter, si illius religione incensi aliquos labores adimus, et sustinemus; si eius studio, et obseruantia perciti aliqua in re insudamus, id ei quàm gratissimum est; ea re mirificè ipsa oblectatur. Nobis properantiùs, quàm aes alienum reddit; à nemine ea quicquam repetit. Memoria immortali, quem illi cultum mortales castè adhibent, retinet; eorumq. obliuiscitur,

Portus hominũ, DEI mater.

ſcitur, quae liberaliter quotidie nobis tribuit. Immo ſemper à nobis quaeritat aliquid, quod cumulatiori deinde reddat menſura. Tutiſſimum autem eſt cum ea tranſigere, quae omneis amplo bonorum omnium lucro copioſè auget. Iccirco inter caeleſteis, mortaleiſq. miro eſt honore, et honeſtiſſimè floret laudibus: litteriſq. omnium gentium, ac linguis ornatur: uiget ſanctum eius nomen monimentis gloriae ſempiternis. Omneis igitur terrarum regiones, et oras ſacra Virgo in ſui cultum excitat. Quandoquidem omnes gentes, populi, ac nationes, uel leuibus quibuſq. laboribus pro ea ſuſceptis tam egregia praemia perſolui ſentiunt; ac nemo, qui liberaliter ei ſeruit, non inſigniter, non effusè donatus ab ipſa, quae nunquam ab honeſtis precibus noſtris abhorret, diſcedit. Eius ego memoriam nunquam abiiciam, ſed animo ſemper comprehenſam, perceptamq. habebo; nunquam de illa ſilebo; quando inſigni eius liberalitate munificè retentus ſum; diuinaeq. illius benignitatis ſaepè periculum in me factum eſt. Etenim, eius miraculorum libellis à me

peruulgatis, repente tāto frui gaudio coepi, et ad tantam laetitiam animū meum excitatum sensi, quanta uix in hominem cadere potest: tot me bonis cumulatum noui, quot haud facilè mihi ipsi optare, aut deligere sciuissem. Quocirca is in animo meo ignis comprehensus, eaq. concepta est flamma; quae nunquam sedabitur ullo tempore. Quinetiam huius Reginae indies religione plus satis excitus, magis, magisq. accendor, et ardesco. Immensum enim quiddam est, et infinitum, quod Virgini debeo. Dein, quādo mihi tam iucūdi sunt, ac suaues quicunq; pro ea labores excipiuntur, illos, quandiu

Non cessandum à Virgine colenda.

mihi uita erit, non terminabo: alia omnia studia abiiciam, haec studiosè sequar; ab his nunquam mentem reflectam. Vbi enim rationem ineo, quàm clemens sit, quàm liberalis; me ita comparo, ac medito r, ut ei honorem, et preces assiduas tribuam: à quo instituto nihil me, nisi mors retrahet. Eam ob rem de eiusdem Virginis uitae libello à me hoc anno conscripto editionem, quantum queo, maturare animum induxi. Ac, tametsi me illum non esse sentio, qui tantae rei possim

respondere; nec angustae, ac depressae uires meae illa, quae diu animus exoptat, conari, aut praestare ualeant; tamen fore confido, ut rerum omnium bene gerendarum dux optima labores meos prospe-ret. Ea spe sustentor, quae minimè elabi, aut praeripi mihi potest. Immo ardentibus quasi facibus ad id incendi, inflammariq., et certam in spem ab ea uocari uisus sum. Itaq. nulla satietate de illa scribendi unquam fessus ero; non me ullius laboris odium capiet. Tametsi enim nihil egregium, uel tanta Virgine dignum à me proficisci potest; tamen hoc testimonium exstabit religionis erga illam meae. Insculpsit hoc menti meae desiderium puritatis mater, quod uelut ignis sanctissimè uiuet; eamq. excitauit flammã, quae nunquam intermittetur, aut restinguetur. Hoc desiderio me tam acriter flagrare sentio; non quòd ea, quae supra choros Angelorum amplissimè elata est, cuiusquã laudibus egeat; sed, ut huius aetatis efferuescentis cupiditatibus restinctis, ac repressis, ad honestás res animum appellam, et intendam; meq. praeclaris in rebus occupem. Non indiget cõmemo-

ratione sacrata haec Virgo; cuius nomine caelum, terraeq. omnes personant, cuius laudes gratissima omnium memoria inclusae sunt: neq. de ipsa tam eloquenter, tam magnificè, tam electis, et exquisitis uerbis quisquam dicet, quin eius merita longè exsuperent. Verùm id gratum ei cadere, perspicuum est; ut ocio honestis exercitationibus attrito, et peccandi uiis praescissis, ad res egregias mentem applicemus, nosq. ad honesta studia adiungamus. Nam, cur Satan, uel ubi legionibus instructis grauiùs in faucibus urget, et efferata, ac praecipiti rabie in mortaleis infertur, si quempiam de illa, quae inferorum formido est, scribentē senserit, inde pedem illicò non referat? Tantò hostibus uires infirmiores sunt, quantò attentiùs ab illis cauemus; quantò diligentiùs sanctis moribus, ac uirtutib. animus praecolitur, et exornatur. Si paullùm modo nos languere senserint, tunc proruent, tūc feroces aderunt. Igitur quae res, ne ad optatam prouinciam summa alacritate aggrediendam aduolem, moram inferet? quae, ne illuc, quò me desiderium rapit, quò ardor animi accendit, iter maturem,

MARIAE laudibus oīa personare.

 impe-

impedimento esse poterit? quisnam patentẽ uiam intercludet? Sed tuae recensendae historiae, ò mortalium, caelestiũq. gloria, te ducem suppliciter posco; tuis aduoluor pedibus, cui se Angeli prosternunt, cui se beati omnes submittunt. de ortu, de caelesti institutione, ac diuinissima indole tua, deq. sanctissimis parẽtibus tuis dicturum instrue, et erudi. Deinde, quia de filii tui cõceptu, ortu, uita, ac morte sermones incident; quia illius temporis memoria reuocabitur, quo puer in tuum gremium reiiciebat se; quo sanctis tuis uberibus oscula adfigebat; quo deniq. saeuissimam in crucẽ sublatus est; mihi apud illum esto deprecatrix. Tu enim oculos in filium coniiciens, diuini spiritus suaui uulnere saucia, ardore sancto flammescis: summa gloria te filius cumulat, et copiosè auget. Quando igitur apud IESVM mortales per te solidam gratiã inire possunt: sermonẽ ex ore meo funde, qui ad filii, tuasq. aureis gratus accedat. Nunc ad institutum rediens, pauca suprà repetam; quò res dilucidè, et perspicuè magis innotescat. NAM. DEVS. CAELVM ET. TERRAM creauerat; distinxerat Gen.c.2.
cae-

caelum micantibus sideribus, puroq., et claro nitore ornarat. Summo splendore solem uestiuerat; quo etiã luna insper geretur. omnia, quae pulchritudine, ornatu, uarietate, ordine mirabilia sũt, egregiè digesserat. Deinde è limo ad arbitrium suum hominem formauit, inspirauit in faciem eius uitae spiraculum, et factus est homo in animam uiuentem. Illi caelum, in quod inspiceret, quò mentem, oculosq. erigeret, exposuit; terrasq. subiecit. Huic Adae nomine indito sedem in temperatissima regione statuerat; ubi nulla caligine aër concretus est, nec ullis nebulis suffunditur; ubi lumine latè diffuso rident omnia. Quinetiam fluuii gemmas, et exsplendescenteis lapillos, qui purissimis aquis relucent, ferentes eam regionem rigant. Illic arbores perpetuò uiridantes frõdescunt; perpetuis floribus herbae, quae aeterna florent uiriditate, consperguntur: ibi uariis coloribus picta, et uestita terra, pulcherrimaq. distincta uarietate ubertrimas, laetissimasq. fruges mirabili largitate fundit. Arboribus autem, quae suaueis, exquisitosq. fructus ederent, productis, plantauerat DEVS in

Gen.c.2.

medio

medio illo loco uitae arborem, ſcientiae boni, et mali lignum, quod dulcibus pomis interſitum pulcherrimũ erat. Procreatos inde fructus, ne guſtaret, Adae, mortis poena indicta, idem edixerat. Dehinc omne animantum genus, quod hominis ſubiiceretur poteſtati, mirabilis artifex creauit. Tandem Adae ſomno oppreſſi, ne illic ſolus relinqueretur, coſtã extraxit; eãq. carne repleta, repente Eua femina formata, et maſculo comes addita eſt. In opulento, ac nullius rei egenti regno ſine metu in libertate aetatem agebant; uitam curis omnibus expeditam uiuebant. Tranquilliſſimo è ſtatu ut eos in miſerrimam conditionẽ coniiceret, Satan omnia coepit obnixè facere: ſiquidẽ, ſerpentis omnium animantũm uerſutiſſimi capta imagine, Euam in fraudem illexit. Nunquam enim perfidus hoſtilem animum eiecit, poſtquam flagitio ſuo unã cum perduellionis conſortibus caelo expulſus in tenebroſa, ac foeda loca praeceps latus eſt; proelioq., et pugna cum Angelis conſerta, inferior diſceſſit. Huius belluae dolis capta, et ineſcata eſt mulier. Vetitae arboris fructibus deguſtatis Gen.c.3.

gustatis, quorum iucundus gustatus, et aspectus pulcher erat, in eandem culpam in quam ipsa inciderat, uirum impulit. Ambo in peccatum à DEI iussu abstracti, è paradiso deliciarum, prospera illa, et optima conditione in grauissimam aerumnam conuersa, detrusi, ac deturbati sunt. Interim ferebatur in praeceps hominum genus; et Satan quotidie aliquid flagitij conficiens, suaq. consilia ad perniciem nostram instruens, populabatur omnia; uniuersas genteis uastitati, ac direptioni dabat. Iter ad nequitiam suam apertum, caeli uiam prorsus obstructam, et ex libidine se posse omnia gerere putabat, nec in nos nefarium odium saturare poterat. Res uerò humanae uiolento turbine omnes proruere; alia ex alia clades inferri; maxima hominibus mala impendere, quae neq. uti deuitarent, neq. quò se inde extraherent, planè erat in incerto. Sed misericordia deniq. DEVS uictus nos grauibus curis discerptos, et atra caligine circunfusos respexit; siquidem propè aderat tempus, cùm perdita res mortalium restitueretur; bellum extingueretur, quod tamdiu in terris

Satanae in nos odium insaturab.

Gen. c. 3.

terris exarſerat; ac è tot malis, in quibus prouoluti eramus, emergeremus. Quapropter mortem, cui mulier caput fuerat, per mulierem uoluit ad ſalutem, et uitam conuertere; ut, quando à muliere moeſtitia allata erat, nobis è muliere gaudium oriretur; et hinc remedium eſſet noſtrarum aegritudinum. Sicut enim illa paenè aeternas orbi terrarum tenebras adtulerat; bellumq. graue, et perdiuturnum inſtaurauerat; ita haec pacem, ocium, tranquillitatem, concordiam intulit, nefariumq. bellum compreſſit. Statuens caeli Rex eò ignoſcentior eſſe, quò primorum parentum grauior noxia fuerat; quò maximae illorum culpae infinita eius miſericordia praeſidio eſſet, in certiſſimā nos laetitiam coniicere uoluit. Vt autem ſerpens, qui oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus huc illuc ferebatur, mortalibuſq. uenenum ſuum infundebat, compreſſus, atq. illiſus moreretur; et qui in ligno uicerat, itidem in ligno uinceretur, furibundoq. Satanae froenum iniiceretur; pro nobis, ò mira pietas, mortis ſupplicium decreuit perferre. Cuncta mortalium mala bono-

rum

Eua, et Maria

rum omnium dator diſſoluturus, dum res
Ioan.c.1. noſtrae florentes fierent, ac nos perditos
Euang. morte liberaret; uoluit naſci è Virgine.
In MARIAE integram aluum ſe hominum liberator coniecit, innocens pro nocentibus pœnas repenſurus. Hominem peccato foedè inquinatum ab omni macula purum facturus; ſe in caſtam, et immaculatam aedem immiſit. VIRGINEM. HANC. DEVS per ſtrenuam, et inuictam triumphatricem Iuditham, per Rebeccam pudore ſancto perfuſam, per Illuſtrem Heſterem, nobis praeſignauit. Eandem ab Ezechiele praedictam Salomon ſanctè celebrat; eam Dauid ueridico
Praeſignata à Prophetis Virgo. ore, ac mente à DEO illuſtrata futura profundens, multò ante praeuidit. Sancta haec ſponſa in propheticis litteris paſſim commendatur; et non minùs, quàm Eccleſia ſacroſancta praenunciatur in Canticis. Ergo, ut communi omnium moeſtitiae ſolidum gaudium intercederet; et mortalium animi, qui priùs miſeria, ac metu tabeſcebant, releuarentur, uelut refulgens aurora, mirabilis haec Virgo, per quam uitae occluſae fores apertae ſunt, per quam diei radiatum inſigne

ſignè nobis illatum eſt, diuinitùs exſurrexit. Illuſtrium uatum florentem, ac certam futuram propaginem, ſacerdotali ſimul, et regio genere, antiquiſſimiſq., ac magnae cognationis familiis, ſummorum regum antiquorum claritate eam ortam oportuit. Eo ſaeculo pius uir Ioachimus ex Habraae ſemine, tribu Iuda, regioq. Dauidis genere, patria Nazarenus, Galilaeuſq. ſanctis moribus, et pietate maximam in ſe probitatis, et ſanctitatis famam tranſtulerat. Eidem erat uxor Anna ampliſſimè ornata uirtutibus omnibus; et è tribu Leui, patriaq. Betlehemitana. Etenim Iudae tribus per connubia ſibi Leuim miſcebat. Ea complureis annos ſterilis, et planè infoecunda exegerat. quam ob rem iuſti coniuges acerbam, et grauem curam ſuſtinuerant. Atqui Anna, cui ob ſterilitatem negabantur ii honores, qui iuxta legem matronis, et matribus ob liberos procreatos tribuebantur; ad precandi ſtudium ſe contulit; ut ſterilitate ſublata mater fieret. Quinetiam, dum maximis uotis, et aſſiduis precibus prolem à Deo expoſcerent; in ieiuniis, excubiis, et obſecrationibus

Andreas Cret. n. de dormit. virg.

Ioã. Damaſc. de natiuitate Virg. orat. 2.

tionibus tota eorum uita prorſus conſumebatur. Ac, ſi quis ex ſe editus partus fuiſſet; illum DEO auguſtè conſecrare animum induxerant. Ioachimus precabatur in monte et quadragenario ieiunio preces continenter adhibebat. Anna ſub dio in hortis lacrymabat, ac ſubmiſsè orabat DEVM. Interim precationi mirificè deditos forti eſſe animo Angelus iuſſit: ac, ſalute eiſdem DEI nomine nunciata, apertè ſignificauit, Annam concepiſſe, atq. ex illo partu prodituram in luminis oras reginam Angelorum. Repente qui animo abiecti, et nimio moerore proſtrati lacrymas effuderant, ob laetum nuncium lacrymas maximo gaudio proiecere. Neq. uerò iniecta ſpes eos fruſtrata eſt; ſed ſterilitas natura allata in foecunditatem diuinitus conuerſa, ac mutata eſt. Sancto ex illo coniugio, quo nullum in terris purius, aut caſtius unquam fuit, ANNAE aluus intumuit; et Nazarethi in Galilaea regione filia concepta eſt. Sine peccati originalis nota concepta eſt; omniſq. concupiſcentiae expers, et ab omni peccandi poteſtate libera, atq. immunis extitit. Cùm primum in maternis

Dama-ſc. orat. 2 de Virg. natiuit.

ternis viſcerib. concepta fuit MARIA, eam tanta puritate, ac ſplendore ornauit DEVS, quanta ipſius ſedem, ac domicilium fulgere oportuit. Eam ob rem in ſanctorũ cõiugum animis effuſiſſima laetitia oborta eſt. Atqui inuictiſſimo caeleſtium Regi agendarum gratiarum, ac eius laudandi finem nullum praeſcribere poterant. Sibi enim, quod tantis uotis tamdiù optarant, ex ſententia ſentiebant obtigiſſe. Scripta erant in animis, quae nunciarat Angelus; ſecum tacita mente illa agitabant, et euoluebant. Proh, aeternae laetitiae liberalis dator, quodnam maius gaudium mortali intercedere, quinam iucundior nuncius afferri poterat? Palam profert Angelus, è mortali parente, uenturã in hanc lucem lucis, ac uitae Reginam, florem uirginũ, ornamentum caeli. ò millies, et amplius beati coniuges. ò felicia Annae uiſcera, quae, uelut penitiſſimum ſacrarium ſacratam illam virginem, virginem illam exceperunt, quae diſtrictum in caedem noſtram gladium è furẽtis Luciferi manib. extorſit; beatorum ut ad ſedes pateret curſus, interclusam caeli uiam

patentē effecit. Sancta ò mulier, quàm illustris nepotis te auiam, perpetuae uirginitatis exemplum filia faciet? Iam uerò nouem menseis pia DEI parentis parens, haud diuinorum gaudiorum expers produxerat. Demum, uelut laetissimo uere florente, cuius perpulchris florib. omnia conspergenda erant, rosa illa florentissimo saeculo nata est, quae suauem odorem spirans, ad caelum usq. penetrauit; et omneis mira perfudit suauitate. AB VRBE ROMA condita anno DCC XXXIIX. VI. id. Septembr., XXIII imperii Augusti anno, Herode Idumaeo, Iudaeorum tyranno, clarissimum mortalium lumen inde ab aeterno in diuina mēte iam natum in luminis oras prodiit. Eius anni M. Drusus, et L. Piso à quibusdam R. consules nominantur. Laetissimis animis diuinus ille partus exceptus est. Postquam enim terra lumine spoliata erat, luxq. occiderat, tanquam oriens aurora, et noctem depellens, nitidissimum solem nobis, luce toto caelo diffusa, virgo intulit; et maximè illustri splendore omnia ornatè illustrauit. Quandoquidem non longè

Virg. dies natalis.

Damasc. orat. 1. de natiuitate Virg.

longè aberat, cùm suum erga nos amorem DEVS indicaret; et Satanae superbiae, qua omnia permista fuerant, eius uiribus planè attritis, obuiam iretur; atrociq. bello, et orbis terrarum uastitati dulcissima, atq. pulcherrima pax finem faceret. Quaenam Satanae temeritati securis tunc iniecta est? Ille dies, initiũ ad cõseruandum hominũ genus, illuxit. Eo die gloriosissimus ab Angelis triumphus actus est. Videre tempus exoptatissimum videbantur, cùm sanctorum ciuium numero ornaretur caelum, et copiosè augeretur; sedesq. illae, quae diù uacuae manserant, replerentur. Quib. laudib., DEVS optime, te uniuersi chori prosecuti sunt? quanta religione immortale tuum nomen, omnes prouoluti, uenerati sunt? At uerò, simul atq. praeclara haec lux in lucem prodiit, omneis oras splendore perfudit suo, nobis sol fulgidus illuxit, et mira ubiq. serenitas orta est. Deinde sacra puella, cui supra aetatem, supra mortalitatem omnia tributa erant, excitauit apud omneis mirificos sui amores. Ea longè maturiùs, quàm ceteri infantes, rationis usu uiguit.

Specie diuinitatis non experte omnium in se oculos coniiciebat; eosq. maxima cum admiratione retinebat. Tam pura virgo è caelo videbatur delapsa; diuinus ab omnibus partus praedicabatur; eamq. non ex se, sed è caelo ortam dicebant parentes. Non autem dubiũ est, quin sancto in illo aspectu maiora diuinitatis signa fuerint, quàm animus, uel cogitatio cuiusquam capere possit. Iam tertium annum egerat, cùm eius rei desiderio diuino quodam instinctu eadem ferueſcens, et ad id propensissima, à parentib. sanctè, ac piè sacerdotib. oblata, DEIQ. aeterni templo, ut iidem uouerant, augustissimè consecrata est. Ea tunc Hierosolymitani illius templi quindecim gradus, quod in tenera, et imbecilla aetate illa nisi diuinitùs poterat con tingere, mira alacritate conscendit.

Virgo infans templo consecrata

Non dubiis argumentis illam tum consurgere, et educi significabatur, quae supra nouem Angelorum choros, et sex beatorum ordines clarissimũ, illustremq. uirginitatis, ac martyrii triumphi titulum praeferens, gloriosè confessura erat. Ceterũ, quãta pietate inflexis hnmillimè genibus,

Damasc. de Virg. natiuit. 1. orat.

DEI mater in animo martyr.

genibus, proiecta, et submissa sacratam illam aedem uenerata fuerit, quãtam illi religionem praestiterit, quem adhibuerit cultũ, cogitatione ii cõprehendant, quib. compertum est, quàm sanctis moribus, quantaq. pietate praecultus, et praeditus diuinus ille animus esset. Etenim purũ hoc caelestis gloriae templum tam praeclaris donis ornarat, illuc tam ampla ornamenta congesserat DEVS; ut, si de illis parem disserere, maturiùs me tempus, quàm res deferat. Virgo autem ornatissima ceteras puellas nobileis, quae diuino cultui ad aetatem nubilem usq. se addicebant, labore, studio, uigilantia illic in templo longè anteibat. Eádem ita se prorsus comparauerat, ita in animo instituerat suo; ut propensissima mẽte liberaliter, et diligentissimè Deo seruiret. Nemo illam à diuino cultu ad aliã rem, nisi quae honestae exercitationis esset, reiectã uidit. Noctu, et interdiù honestissimum semper laborẽ excipiebat; inflam matumq., et incensum eius studiũ nunquam remittebatur. Quandiù uerò cessandũ erat à diuinis, se lana, et sero exercebat: telas nunc ingeniosè contexebat; MARIAE studia, et mores sãctiss.

nunc aliquid acu egregiè pingebat, quo templum, et ſacerdotes, ubi ſacra fiebāt, ornarentur. Primùm aliò nunquam mentem cōuertens nil meditari poterat, ſibi quod eſſet carius, quàm ſe ex animo ei obſequentem praebere, cuius nutu oīa reguntur. Erant eius in animo eae accenſae faces, quibus tota DEI amore deflagrabat. Dein omnia temporibus illi diuiſa erant; precationumq., ac diuini cultus interualla honeſtiſſimis exercitationib. praeclarè diſpungebat. Nunquam enim dabatur in otium; nec abducebatur ab honeſto, aut liberali ſtudio; nullumq. remittebat tempus, quò apud DEVM quàm gratiſſima eſſet. Conflatus ille, et conceptus ſancto ſpiritu ignis nō peribat, aut interſtinguebatur unquā, ſed perpetuò uiueſcebat. Iam inde ab infantia ſancto ſpiritu repleta eſt; qui ſe cum aetatis progreſſu apertiùs in illa indicabat, eamq. ita imbuerat; ut nec minimae ullius peccati notae locus relinqueretur: ſacratum DEI thalamum ita colluſtrarat; nihil ut illic niſi purum, inconcretum, et nitidum immoraretur. Itaq. aetatis auctu indies ea grandeſcens paulatim

latim adultae, et florescētis uirtutis egregia documenta edebat; clariusq. in illa mirabilis, et diuina indoles elucebat. Immò integris, et inuiolatis adolescētiae initiis praestitis, quae maturitas, quā eximiae diuinarum dotium fruges futurae essent, testatum relinquebat. Conspicua illa, et spectata sanctitate, puellis omnibus, quae in templo custodiebantur, sanctum religionis amorem incutiebat; illas eliciebat in ardentem DEI cultum; concitabat in omnib. summam pietatis flammam. Sacra haec virgo, fons caelestis gloriae perennis, intra templi parietes illam aluit gloriam, quae nullis regionib. definiri, quae uix caelo capi potest, quā nulla dehinc alia virgo assecuta est. Atq. gloriosa ei cunctarum uirginum palma data est. Probatissimi, et Angelici illi mores in eius prouinciae luce, et oculis uersabantur. Percrebuerat eius honestatis, ac puritatis fama; et non opinione tacita, sed perspicua omnium admiratione declarabatur; insistebatq. in omnium auribus, quas honestissimis de se sermonibus referserat. Nemo nō praeclarè, non honorificè, non summa de ipsa

ueneratione loquebatur. Omneis tametſi omni uirtutum genere ſuperabat; tantam ceperat uirtutis opinionem; omnibus ut cara eſſet, ſuoq. ſtudio omneis incitaret. Nihil auté erat in illa, quod ſingulare, et expreſſum pudoris ſignum non indicaret. Maioribus obſequens, et morigera ſuum unicuiq. honorem deferebat. Diligentiſſimè proſpiciebat ne quicquam proferret lingua, ne uiderent oculi, ne aures exciperet, quod ſponſo ſuo, cui perpetuam uirginitaté inuiolabili uoto conſecrarat, minimè gratum caderet. Taciturnitate, et ſilentio maximè delectabatur. At, ubi iuſta offerebatur loquendi occaſio, abundè ei erat compoſita, et facunda oratio. Quoniá nos in hunc locum hiſtoria deduxit; perpendamus, quanta ſuauitate, et grauitate ſermo ille, qui è uirginali, ac diuino ore facundiſſimè fluebat, inſperſus eſſet. Vocis illius ſonus quàm dulciter, et iucundè omnium auribus accederet, uix mente comprehendi poteſt. Etenim ſpiritus ſanctus puriſſimas in aureis uirginis uerba immittebat; DEIQ. uerba, et oratio MARIAE ex ore mitti uidebātur.

Damaſc. orat. 1. de natiuitate Virg.

Virg. ſilentium, et facundia.

Damaſc. ibidem.

Fortunati uerè ii, quibus sermonem illũ auribus excipere, beati, quorũ ad aureis suauiter fluens illa oratio accessit. Quis adeò immanis tũ reperiri poterat, cuius animum sancta illa uerba nõ deflexissent? Quis tam efferus aut tam crudelis, qui mansuetis illis dictis non mansuescisset? et omnem prorsus non abiecisset inhumanitatem? Sed erat Israeliticis virginibus eo tempore, cuius in uitam inspicerent; unde sibi sumerent exemplum. Etenim uitae mater exemplum uitae exposuerat. Sanctarum omnium uirtutum spectaculum, quod ex edito, excelsoq. theatro omnibus planè spectare licebat, proposuerat. Ac, praeter innumerabileis dotes, quae in illa non minùs, quàm in caelo stellae, relucebãt, eam ornabat, ac praeclarè commendabat humilitas; quae nunquam in alia tam splendidè, quàm in MARIA effulsit. Immò quae omni uirtutum laude florebat, hac tamen fuit clarissima. Ea uirtus, qua maximè nobis DEI gratia conciliatur, qua fit, ut ad eius clementiam receptum homines habeant, in ea praecipuè explẽdescebat, altissimisq. defixa erat radici-

Virginũ exemplũ.

MARIAE humilitas

bus. Quapropter eandem in maximè sublimē thronum, supra Angelicos choros, altè conscendere oportuit, altissimū locum tenere, supremumq., et maximè excellentem in honorem euocari. Nam rex ille, qui nec fallere, nec falli unquam potest, affirmatè pollicitus est, eò altiorē in statum nos prouectum iri, quò submissiùs nos gesserimus. Quaenam igitur huic virgini uirgo se adaequare poterit, quādo ob mirabilem, ac singularem submissionem tam altè euecta est? eiusq. gloriae sedes nullis finibus terminari potest? Sed ad Hierosolymitanum templum, ubi sponso suo egregiè placere ea nitebatur iter conferemus. Illic abstinentissimè, et uigilantissimè uitam agebat; ac bonam noctis partem, ne a precatione intermissio fieret, insomnem ducebat. Vix autem ad corpus sustentandum tenui, sobrioq. uictu utebatur; siue is ab Elizabetha, siue ab alijs suppeditaretur; siue, ut nō nulli rentur, perferretur ab Angelo: quorum ego opinionem uti piam sanctáq. arctè teneo, et cōplector. Nam, si compertum est, uiros sanctitate insigneis, et pios Eremitas ab Angelis quan-

Abstinentia, et uigilantia virg.

D.Ambr.

Virg. cibus.

quandoq. nutritos fuisse; cur non credere, pium est, DEI matrem, Angelorum Reginam huiusmodi exceptam cõuiuiis, huiusmodi cibis exsatiatam fuisse? Verùm, ut cunctis in rebus puritatem, et candorem suum indicaret, non uaria, nõ sumptuosa ueste utebatur; in eius uestitu non ascitus color, sed natiuus tantùm erat. Id quod et nunc ex sancto uelamento, Bononiae adseruato, quo ea caput redimire consueuerat, in manifesto est; à quo naturalis tantùm color, non ascitus refertur. Hoc ab ineunte uirginis aetate uerum existimarim. At, ubi natu grandior facta est, eam colore picta ueste sueuisse uti, certum est. Siquidem eius uestis particulam, quae purpureum colorem refert, mihi dono à Ioanne Fontano, Mediolani Archipresbytero datã intima religione adseruo. Quantus rei sanctissimae honor tribuendus sit, clarissimo testimonio comprobatum est. Dum adhuc uiuerent parentes, Hebraeis diuinisq. litteris doctissimè sancta uirgo erudita est. Quoniam de illius parentib. nunc dicendi occasio opportunè se ostentat, ne ex multis reb. unam maximi

Cedren. pag. 153. nu. 1.

Vestitus. Cedren. ibidem.

Eruditio

Cedren. ibidem.

momenti transiliat oratio, non permittã, ut praeteruolet, aut elabatur. Ac primùm ego eorum opinionem abiiciẽdam censeo, qui ad tertia uota ANNAM descendisse, filiosq. ex singulis uiris procreasse existimant. Procreauerãt enim insignem, et praecellentem istam filiam MARIAM pii parentes; cùm exacta iam aetate essent; ut eius ortus celebriori miraculo commendaretur. Quin nata DEI matre, IOACHIMVS cum ANNA undecim, uel duodecim annos plus minùs uixit. Quocirca decrepitam iam, et senio confectam alias nuptias contraxisse, nulla coniectura ego arguere possum. Neq. uerò ulla lege ad id cogebatur; neq. ignorabat sancta mulier, excusari magis, quàm probari solere secundas nuptias. Horum sententia minùs est probabilis; quòd paucis post diebus, quàm migrasset IOACHIMVS, eàdem è uita excesserit. Opinantur enim quidam, virginem parentib. orbatam fuisse; cùm undecimum, aut duodecimum ferè annum ageret. Itaq. ab hac ego sententia, quae ad maiorem filiae, ac matris laudem pertinet, nõ deducar: ut MARIA filia

Damasc. orat. 3. de natiuitate Virg.

Cedren. 153. n. 1.

Mors Virginis parentum. Cedren. ibidem.

filia unigenita, ANNA DEI parentis unica dicatur parens. Eam opinionē, quò dignior,& probabilior est,eò arctiùs complectar. Non autem quod à Ioanne in Euangelio dicitur, nobis aduersari uidetur: siquidem,ubi ille Mariam Cleophae, virginis sororem nuncupat, me nō ab accepta opinione amouebit. Fratris enim, ac sororis nomen in sacris litteris ad cognatos referri sueuit. Cleophas autem, à quò marito uxori Mariae nomē Cleophae inditum est, Iosephi sanctae Virginis sponsi frater germanus fuisse asseritur. Ille eos suscepit filios, qui fratres IESV saepe dicuntur; iure agnationis patrueles fratres, non sanguine germani. Sed eò iam, unde digressi sumus, reuerti oportet: nec de iis reb., in quas historia ingressa erat,praetereundum est. Nam dum MARIA duodecimo aetatis anno exacto,noctu animum quàmmaxime ad precationem intendisset; caelestis haec uox,& diuina uerba ad eius aureis accesserunt,ac delata sunt: FILIVM. MEVM. PARIES. Sed ipsa,qua praedita erat humilitate,et modestia, cum nemine ante filii in caelum ascensum

ANNA unica mater.

Gen. 13. Gen. 29. Gen. 12.

Canisius pag. 32. et 466.

Cedren. pag. 153. nu. 19. Idem ibidem n. 22

aſcenſum cōmunicare unquam uoluit. Deinceps, ubi in caelum IESVS conſcendit, et hoc, et alia de illius conceptu arcana Apoſtolis profudit. Diuinis moribus, praeſtanti, nobiliſſima, et illuſtri indole annum decimumquartum attigerat. In ſancta autem, ac de caelo miſſa adoleſcentula nil quicquam deſiderari, nil mortale illi adiumento eſſe poterat; in quā bona omnia, uti in uas puriſſimū perfluxerant; in quam pulchra omnia DEVS congeſſerat; quam diuinis bonis planè inſtruxerat. Profectò ſacratum in hūc gloriae thronum uirtutes omnes, tanquàm immenſus fluuius, qui ſummas ripas ſuperet, quem nullum mare capere poſſit, longè, latéq. perpetuo curſu, et mira perennitate decurrerunt: ſola uirtutes omneis comprehendit. Ipſa uero

MARIAE pulchritudo.

tanta pulchritudine ornata erat, quànta cenſendum eſt afflatam matrem, ac ſponſam ſuam, et filiam eſſe ab illo, qui caelū, ſolem, lunam, fixas, uagaſq., et inerrāteis ſtellas creauit ſempiternus, ac mirabilis artifex; qui ea, quae oculis noſtris offeruntur, et quorū praeclaram, ac inſignem faciem, candoremq. uidemus, tam egregiè

giè digeſſit. Hic,quia opportunè ſe res offert,de eius pulchritudine pauca diſſeram. Nam ſanctus uir, extremis illis uirginis annis,in eam cùm defixiſſet oculos, maximam in admirationem,inſolito illo ſplendore, auguſtaq. maieſtate immerſus eſt. Atqui idē repente teſtatus eſt,niſi ſibi ex illa DEVM genitum eſſe, non dubiis argumentis compertum fuiſſet, eam ſe pro DEO habiturum; neq; pulchrius quicquam oculis conſpici poſſe. Quid? eius pulchritudinis aſpiciendae ardenti deſiderio flagrans iuuenis, ſi eam ſemel intueri licuiſſet, nonne oculorum dein orbitatem placidè, ac leniter ferre erat paratus? Quinetiam pius uir,ad quem clementiſſima mater multis precibus uocata conceſſerat, eiuſq. proſpectui excellentē illam formam expoſuerat; ubi in eā oculos cōiecit,illos deinceps inde deiicere, diutiuſq. ſe uiuere non poſſe, apertè ſignificauit, ſi à ſerena illa luce auelleretur. Iccirco miſericordiae matris ſingulari clementia factum eſt, ut illius anima à corpore ſeiuncta repētè in caelum ſimul immigrarit. Nos ò Regina,quae diuina es facie, egregiaq., ac caeleſti pul

chritu-

chritudine, postquam oculis non possumus, te cõspiciemus cogitatione, ac mente. Sed ad institutam historiam. Statura corporis mediocri erat virgo; quãuis sint, qui dicant longitudinem mediocrẽ illam excessisse. Colorem triticeum prorsus referebat; et oculi erant perlucidi, acres, splendidi, subflauis, et quasi oliuae colore pupillis nitentes. Capillus flauus sacrum cingebat caput: supercilia decenter nigra, et inflexa erant; florida labia, mellitaq. uerborum dulcedine cõferta. Nasus rectissimo filo, et tenui linea subductus decentissimè faciem adornabat. Facies nõ rotunda erat, nec acuta, sed aliquantò longior, ac tereti forma: manus simul, ac digiti longiores. Rursus quae pulchritudinem adiuuarent, illustrarentq., innumerabilia inerant. Honesta, grauis, modesta, ad audiendum facilem, ad respondendum gratam se praebebat: ea attentissimo animo summa cum benignitate audiebat; et qui cum ipsa loquebantur, gratissimum sibi responsum habebant. Decenti cum omnib. dicendi libertate, sine risu, sine iracundia, sine aliqua perturba-

Statura, et facies Virg.

Cedren. pag. 153. nu. 15.

turbatione utebatur. Tandem, ſicuti Virginis filius pulchritudine omneis filios hominum longè anteiuit; ita pulcherrima DEI mater, praeter hominum filias forma maximè liberali fuit, et honeſta. Mirabili uenuſtate, atq. elegantia purum, ac inuiolatum illud corpus erat reſperſum; et quae diuina erat oris figura, amabilis habebatur, et grata omnibus. Immò uerborum modeſtia, geſtuumq. grauitate, aliarum mulierum, quae in ſe inſpicerēt, laſciuiam, concupiſcentiamq. reprimebat, ac profligabat; ardentem in illis excitabat religionē. Quicunq. eam oculis perſpiciebant, ardenti ſtatim continentiae, et caſtitatis ſtudio incendebantur; ſanctiſſimi illius uultus decore, libidinis omnes ſtimuli reſtinguebantur; modeſtus ille DEI matris aſpectus prauis cupiditatibus ſtatim iniiciebat froenum. Angelicae ille pulchritudini, diuini, ac ſancti mores conſimiles erant. Nulla corporis pars, nullus erat in ea ſenſus, quem non animae imperio ita obnoxium, fidumq. feciſſet; ut ſumma conſenſione regeretur ad eius nutum, et ar-

Aſpectus Virg. cō-cupiſcen. froenū.

Cedren. 155.n.26

bitratum. Quatuordecim annos iam attigerat; ac, ubi ad eam aetatem accreuerat, è templo oportebat excedere. Interim Sacerdotes, cùm eius rei caussa apud DEVM suppliciter egissent; ipsam aequali despondere decreuerant. Vel enim Sacerdos, ab Angelô monitus, ut MARIAM ei, qui in Dauidica familia, integritate insignior fuisset, obligaret sponsalibus; uel id diuino instinctu praesagiens, siue florentis uirgae, siue alio indicio, Iosephum fabrum aliis quammaximè excellere perspexit. Illum cu-

Cedren. 153.n.32

stodem potiùs quam sponsum, ac maritum adhibitum oportuit. Atqui aeterna prouidentia, diuinaq. uoluntate, sub sponsalium nomine custodiam illam tegi contigit. Virginis enim partũ clam Satanam esse, ac eũdem celari optimum erat. Ei de Virgineo partu suspicio à MARIA incidere minimè poterat, ubi Iosepho eam desponsatam sensit. Itaq. puro, et integro Virgini, è regio Dauidis genere, antiqua uiro uirtute, à quo tunc puritatis, atq. integritatis exempla peti poterant, Sanctae Vrginis, prolis Dauidicae Zacharias. summus sacer-

D.Bernardus Homilia. de beata virgine.

Iosephus Virgo. D. Aug. sermone 15. de natiuit. Domini.

dos

dos, et affinis ſponſalia exhibuit. Dauidica familia, quae tot uiris illuſtribus iam floruera; quàm egregiè nunc tua progenies ab integellis duobus uirginibus, ſacris ſponſalibus copulatis, honeſtatur? optima uerò coniectura auguror, et coarguo, uel id ſecretum ab Angelo MARIAE fuiſſe praenunciatum, uel diuinitus ab ipſa eximia propheti ſſa, quae à DEO inſtruebatur, praeſcitum, quin certa ſpes eam tenuit, fore, ut ſponſus, ac maritus ſuus puritatem itidem integrè ſeruaturus eſſet. Etenim, ubi de deſpõſatione, nuptiiſq. agi ſciuiſſet, acriter, et apertè repugnaſſet, quippe quae Virginitatis perpetuum, et inuiolabile uotum acriter animo priùs ſuſceperat. Quocirca eum cuſtodem, ac fidum comitem, et ſolius conſenſus maritum ſibi futurũ ſentiens, ultrò annuit, purum perpetuò animum retinens, nihilq. remittens de propoſito ſempiternae uirginitatis uoto. Atqui illud, poſtea quàm deſponſa eſt, expreſſè dein ante Gabrielis aduentum confirmauit; uotoq. Ioſephus annuit; ut mutuo conſenſu perpetuae uirginitatis cura in animo fixa eſſet; et

Cedren. 113.n.99

D. Thomas part. 3. quaeſt. 28. cap. 4. D. Aug. libro de ſanct. uirginit. cap. 4.

D. Thomas part. 3. quaeſt. 28. art. 4.

ea puritatis uirtus, altiſſimis radicibus actis, nunquam conuelleretur. Magna autem uſui futura erat Ioſephi opera, praeſertim in ſuſcipienda pueri cura, ubi natus fuiſſet; ac in Aegyptiaca peregrinatione: ut unà perfungeretur periculis, et labore Virginem leuaret, ne tantopere laboribus ſola fatigaretur, maximè erat profuturus. Sponſalibus contractis, Nazarethum, paternas aedeis repetens, nuptias exſpectatura, conceſſit. Amiſerat parentes, dum eſſet in templo, eorumq. hereditas ad ipſam iure delata eſt. quam nõ tenuem, nec anguſtam exiſtimo. Lauretanus enim thalamus ille, quem incoluit tùm Maria, magnificam fuiſſe paternam, ac Nazarenam eius domum, aperte ſignificat. Quae res ſummum parentis ſplendorem, & claritatem in obſcuro eſſe non ſinit. Illic ultrò paupertatem ſacratiſſima ſponſa eligens, et bonis omnibus liberaliſſimè pauperibus diſtributis, ſanctiſſimè ſub Virginis Ioſephi cuſtodia degebat; arctiuſq. indies complectebatur uirginitatis uotum. Clariſſimis ſuis uirtutibus, ſanctiſſimaq., et honeſtiſſima ui-

Aedes Lauretana.

Nazarena Virg. domus.

ta uir-

ta uirgines omneis nobilissima Virgo ad imitationem excitabat. Deniq. ipsa è caelo misericordiã euocauit. Statuens misericors caeli Rex, per eam, omnium incendiorum facibus extinctis, terrarum orbem, abundanti flumine, et largis misericordiae imbribus perluere, uolensq. clementissimus DEVS nexus nostros dissoluere, et hostem nostrum sempiternis uinculis adstringere, per Angelum ad MARIAM salutẽ misit. liberalis omnium bonorum dator, ut ex obscuritate, et tenebris in lucem uocarentur homines, caelestem solẽ terris immisit. Igitur, dũ absente Iosepho, cogitatione ad caelũ erecta, illa uerba animo euolueret: ECCE. VIRGO. CONCIPIET; Gabriel, gestu humano capto, et imagine, legationeq. suscepta, illam adit. Ac, sicut hominum uenenum malus Angelus à Satana missus in mulierem profudit; ita bonus Angelus ad mulierem salutare remedium attulit. erat tunc Virgo in illo thalamo, ubi nata est, qui è Galilaea regione, ac Nazaretho in Illyricum, ex Illyrico in agrum Picenum maximè illustri, atq. insigni miraculo relatus est. eos qui

illuc honestas res iustis uotis exposcentes, proficiscuntur, nunquam spes, ad quam eius religione uocantur, frustrari sueuit. Tanta locus ille sanctitate enitescit; tanta frequentia, et omnium nationum concursu celebratur; nullus ut in terris sit augustior. Foecundis imbribus illuc purae Virginis clementia descendit. In periculosis rebus piae matri dum populi omnes uota faciunt, ad illam ipsam aedem, et in illo loco, fanóq. ritè ea persoluunt. Ibi uerum DEI matris simulacrum D. Lucae ferro incisum, dein pictum, ac expressum eiusdem coloribus, et pennicillo peregrinantium conspectui piè expositum est. Ex innumerabilibus tabellis, quae illic affixae sunt, quàm multi uotis huius uitae tempestatis uim effugerint, saluiq. in portũ peruenerint, perspicuè iudicari potest. aedes sacrata, DEI aeterni, Angelorumq. praesentia saepè honestata, ac diuturna sacrae Reginae habitatione illustrata; quàm mihi dulce fuit, quàm suaue illos parietes amplecti? illis oscula adfigere? Aedes sacratissima ei domicilium, qui nec toto terrarum orbe capi potest, prae-

Lauretani templi sanctitas.

buisti: clarissimū diuinae clemētiae monumentum, maximum Italiae ornamentum. Illatus ego in maxima pericula simul atq. Lauretum uota conuerti, tuum mihi auxilium Virgo paratum sensi, tu mihi manum, ò mortalium praesidium, tetendisti. Qui uerò sanctissimo in illo loco sacris solennibus adfuerunt, uotaq. nuncupata persoluerunt, caelesti profectò laetitia frui uidentur. Quod mihi, sancta domus, tui desiderium reliquisti? Tametsi ego peregrè istuc pluries profectus sum; tamen ardenti ad te redeundi desiderio emorior, ardeo. Neq. mihi sanctum iter passibus cōficere satis est, sed cursibus istuc uolare cupio. Itaq. illic ad MARIAM despōsatā Iosepho Angelus uirili habitu ingressus, dixit: AVE. GRATIA. PLENA. DOMINVS. TECVM. Haec cum audisset, eius oratione commota est, quae cum uiris minimè consueuisset loqui, et cogitabat qualis esset haec salutatio. At caelestis nuncius, ne timeas, inquit, MARIA; inuenisti enim gratiam apud DEVM. Ecce concipies in utero, et paries filium; uocabisq. nomen eius IESVM. dixit

Angelica salut.

Lucae capit. 1. Damasc. de dormit. virg. orat. 1.

MARIA: quomodo fiet istud, quoniam uirũ nõ cognosco? Virginis accepta oratione respondit Gabriel: SPIRITVS SANCTVS superueniet in te, et uirtus altissimi obũbrabit tibi. Ideo quod ex te nascetur sanctũ, uocabitur filius DEI. Et ecce Elizabetha cognata tua, et ipsa concepit filiũ in senectute sua; et hic mensis sextus est illi, quae uocatur sterilis. Nihil enim est, quod apud DEVM non possit fieri; qui naturae artifex naturae leges arbitratu suo immutare potest. Rursus illa modestè terram intuens, hũc cum Gabriele sermonem habuit: ECCE. ANCILLA. DOMINI. FIAT; MIHI. SECVNDVM. VERBVM. TVVM. Angelica salutatione accepta, dum eidem sanctissimo illi mysterio assentitur, statim pura eius in aluo VERBVM. CARO. FACTVM. EST. Tũc IESVS ex SPIRITV SANCTO cõceptus, ac repente humanis membris, praesente adhuc Angelo, praeditus est: et ex purissimo perpetuae uirginis sanguine, in sacro eius utero formatum corpus humanum assumpsit. Ille autem dies, salutis nostrae initium, IIX. Kal. Aprilis illuxit;

Luc. c. 1.

Damasc. de dormit. Virginis.

Damasc. orthodoxae fid. lib. 3. capit. 2.

Oros. lib. 7. Hist. c. 7.

illuxit; quo die DEVS Adam creauit, eo IESVS DEI filius conceptus est; et in unum MARIAE dictum ubertim bona omnia confluxerunt. ò salutarem, ac insignem legationem, quae pacis, ac uitae nobis inferendae, quae belli extinguendi origo, ac principium fuit. Ad mortaleis poenam Eua, salutē MARIA ad tulit. Quo expletum gaudio? qua perfusum laetitia? qua gloria cumulatum legatum fuisse existimabimus, dum secum perpenderet, quàm de re ardua mitteretur, et quanti illa esset, ad quam legationem obibat? Quinetiam spectatissimam eius fidem ualde suspexit, et admiratus est; quae sibi soli inaudita, ac mirabilia nuncianti indubitanter, ac firmiter credidisset. Virginei uoti cōstantiam, quae Angelicis uirtutibus omnibus longè antecellit, immortalibus tunc extulit laudibus; cùm id ab ipsa responsum tulit: QVOMODO. FIET. ISTVD. QVIA. VIRVM. NON. COGNOSCO? Quinam hoc mi euenire potest, quae me DEO perpetua uirginitate cōsecraui? certumq. iam consilium cepi, nullum ut ad procreandos liberos unquam

CHRISTI concept.

Canisiu pag. 361 366.

quam admittam? perceptumq., et comprehēſum animo habeo uirginitatis uotum? Idq. inſcriptum in mente, et in animo fixum reſidet? ò inuictum, et ſtrenuum adoleſcentulae animum; quae nihil dubitans ardua, et incomprehenſibilia, et quae uix in cuiuſquam ſenſus influere potuiſſent, plena comprehendit fide, celeriterq. percipit. Se totam ſubmiſſe DEO ſubiicit, confert ad eius uoluntatem omnia, eius mandata ſtatim exhaurit. Interim nuncius, per quem Virgini è caelo ſalus miſſa fuerat, plurimam caelo ſalutem refert. Itaq., ſi immaculata haec DEI filia caeleſteis ſpiritus in ſui admirationem maximam trahit, quantopere nos mortaleis ſuſpicere illam oportet? eam nos ſumma uoce, quoad uires ualent, ſalutemus; exquiſitis laudibus ornemus; ampliſſimis laudemus uerbis; erumpat è nobis uera uox, ſine cunctatione celebretur MARIAE nomen, quod ſemper intuebitur aeternitas. Eam omnes animantes, ſol, luna, ſtellae, maria, ſolitudines, montes, fluuii, ſi uocem poſſent mittere, aeternis proſequerentur laudibus.

D. Aug. libro de ſanct. uirginitate, c. 3. et 5.

E uir-

E' uirginis autem ſanguine puriſſimo CHRISTI corporis ſubſtantiam ſpiritus ſanctus collegit;et VERBVM. CARO. FACTVM. EST. Quin eodem momento, ſine temporis ſucceſſione, filii ſanctiſſimam animam DEVS creauit, ſanctũq.in illud corpus,eodem tempore, infudit; quae omnium uirtutum omni genere ſimul ornata, abſolutiſſimaq. ſcientia praedita eſt. Atq. totum prorſus corpus ex MARIAE ſanguine CHRISTVS ſumpſit; et ſanguinem, quem obtulit, totum è matre habuit: totusq. DEVS ex DEO, et totus homo è uirgine eſt. Quapropter quàm luculentus nobis dies IIX. Kal. Aprilis, quo lux obiecta eſt nubibus, datus eſt? quo ſol, tenebris diuulſis, radios latè nitenteis fudit? Miſericors parens, cuius miſericordia magis in procliui eſt, quàm imber, cum pluit, ampla, perpetuaq. ope mortaleis,eos ſaluos, incolumeſq. eſſe ſtatuens,auxit; et impio Satanae grauem obiecit aerumnam. Eius autem quod nunciauerat Angelus, Virgo memoriam non remittens, ad Elizabetham ſtatim iter maturat. Scibat enim

D.Ambr. libro de incarnat. Domini cap. 7.

Baſilius Magnus Hom. de CHRISTI humana generat.

nim eam extremis illis annis, quae per ſterilitatem, aetatemq. parere non poterat, iam grauidam eſſe. Nulla igitur mora interpoſita, mirabili alacritate per arduos colleis iter conficiens, illuc contendit; ne id ſalutandae cognatae maximè pium, gratiſſimumq. DEO officium intermitteret. Zachariae aedes ingreſſa, plurima Elizabetham ſalute impertit. Accepta ſalute, repente in eius utero infans exſultauit; quae ſancto ſpiritu repleta ſtatim ſummo clamore, et laetitia hunc ſermonem apertè profudit:

Lucae capit. I.

Elizab. ſalut.

BENEDICTA. TV. INTER. MVLIERES. ET. BENEDICTVS. FRVCTVS. VENTRIS. TVI. unde mater Domini mei ad me? ea res à cognata, non quia modeſtiſſima uirgo quicquam communicaſſet, ſed cum diuino inſtinctu, tùm ob pueri repentinam exſultationem praeſcita eſt. Etenim DEI mater mirabili illa humilitate, qua ſemper excelluit, ne uerbum quidem de alto illo myſterio locuta eſt. poſt autem Elizabethae uerba, mente, et oculis in caelum erectis, tanta pietate, ac religione, quanta ſenſibus noſtris nec percipi,

Lucae capit. I.

nec

nec animo, aut cogitatione comprehendi potest, summo omnis laetitiae datori, à quo tantam, tamq. solidam gratiam inierat, amplissimis uerbis maximas gratias egit summa pietate eius celebrauit laudes, apud quem aeternũ pietati positum est praemium. Immò eádem sancti spiritus igne incensa, totaq. conuersa in diuinum amorem, grauiter, et concinnè illud canticum, cui catholici omnes maximum honorem, et cultum adhibent, cecinit; atq. ita sine ulla cunctatione loqui coepit: MAGNIFICAT. ANIMA. MEA. DOMINVM. ET. EXSVLTAVIT. SPIRITVS. meus in DEO salutari meo; quia perspexit humilitatem ancillae suae. Huic cantico in Propheticis libris nullum praeferri potest, quod etiam aduersarii laudare coguntur, in quo bona omnia, ac uirtutes, praesertimq. humilitatem intueri, et admirari licet. ò uirtus omneis uirtutes comprehendens, ò sanctissima humilitas, quae quò minùs gloriam petis, eò magis illam adsequeris; quò submissiùs te demittis, altioribus theatris propositam et in amplissimis honoribus floren-

Lucae ca pit. I.

MARIAE canticum illustre.

florentem uidemus. ò diuinum ſanctarum mulierum congreſſum, ò ſanctum MARIAE, et Ioannis matris colloquiũ. Húc mentib. ueſtris huius ſaeculi matronae deferamini; meditemini, quaeſo, quid ſalutationes ueſtrae ab hac diſtent? quid differant? Redeunt illuc ueſtrae inter uos ſalutationes, et congreſſus, ut malo, et damno, perpetuoq. exitio uiros mactetis; ut uoſmet perditum eatis; uos ut praecipites agatis; et hoſtis noſter inſignem de perditione ueſtra coronam capiat. Ille non ex umbraculis, ſed apertè in aciem productus, contra uos quotidie praelium redintegrat: ipſae nihil cauetis. Atqui in auro, purpura, mulis, mulionibus, rhedariis, rhedis, pediſſequis, ancillis ſemper animus ueſter eſt; ſemper in iis oratio ueſtra conſumitur. Neq. lex eſt, neque ratio, qua animis auidis, et inſatietatibus ueſtris, ſumptibuſq. intolerabilibus modus ſtatui, uel definiri poſſit. Vos domeſticae rei cura ſepoſita, à liberorum ſtudio reiectae in rebus fluxis, et inanibus totos conteritis dies. Quinetiam uiris haud morigerae eorum parteis audacter praeripitis,
magnum

magnum ſaeculo, ſexui, et familiis ueſtris dedecus imprimentes. Quaenam uis morbi, quae tabes animos ueſtros inuaſit? Immoderatos ſumptus ueſtros quis tolerare, aut ſuſtinere queat? Sed colligite uos, ac reſipiſcite; et à tanto errore tandem abductae luxui ueſtro rationem ponite, et modum. Longè ab omni ſuperbia remotae, deliciiſq. omiſſis, uoce ſupplici, demiſſo uultu à DEO per ſanctam eius matrem reſipiſcentem animum ſubmiſsè petatis; abiiciatis uos nõ tantùm ad uirginis pedes, ſed etiam ad nutum, ac uoluntatem; uoſq. ſine mora eo, quo captae eſtis errore, exſoluatis. Non differendum amplius, ſuppoenitẽdum eſt. Eſt enim celerrimus annorum curſus; aetati ſuccedit aetas; nihil perpetuò floret. Caducarum rerum memoria ſempiterna obliuione deleatur; ea mentibus ueſtris occurrant, eaq. ſpectetis, quae omnium ſaeculorum aeternitate ſemper uigebũt. Sua uos illa miſericordia, qua ſupplicibus occurrere ſolet, DEVS matris precibus uictus complectetur. Priſcarum mulierum uirtutem praeſtetis, eas aemulemini,

Saeculi huiusmulierũ luxus.

Ad humilitatem hortatio

lemini, in quibus nunquam casti animi relanguescebant. nũquàm parsimoniae, et frugalitatis studium remittebatur. Paruo contentae, tenui cultu uiuite; omnia reuocantes ad DEI gloriam, honestatisq. uestrae splendorem. Proponite uobis, imitatione exprimite insignẽ Reginae Angelorum humilitatem; eius uestigiis gradus uestros imprimite; eiusq. imitandae studio efferamini. Num ea secum ancillarũ gregem ducebat? num curru uehebatur, aut rheda? num lectica circumferebatur? Comites quidem secum modestiam, pudicitiam, honestatem, atq. unä omneis uirtutes ducebat. Huiusmodi comites uobis adsciscatis; uos cum eis copuletis; oblectetis uos huiusmodi comitatu. Cum luxu, et superbia sint inimicitiae sempiternae, et immortales. obsecro, nascens malum, ne inueteratum dehinc grauius fiat, opprimatur: uestrae omnes curae in submissionis uirtute defixae sint; et unä omnes ad Virginis sacratissimae imitationem excitatae eius humilitatem moribus uestris exprimatis. Verùm ad eam sermonis partem, ex qua egressi sumus

regre-

regrediamur. Tribus enim ferè mensibus cum Elizabetha exactis, uirgo priùs Nazarethum, quàm illa Ioannem pareret, secessit. Coeperat tunc pura eius aluus intumescere. Animi autem pendere Iosephus, quippe qui Virginem se esse scibat; neq., ut de MARIA inhonestum quicquam, aut turpe suspicaretur, adduci poterat; immò non poterat de illa non diuinè iudicare. Namq. sanctissimi eius mores huiusmodi suspicionem apud neminem debebāt commouere, uel excitare. Itaq., tametsi integrae Virginis sanctitas in luce posita enituerat, atq. perspicua omniū admiratione innotuerat; ab ea tamen clā diuertere, illamq. ab se dimittere animo constituerat suo. Quandoquidem exploratum habens, nullam probri labem in sponsam suam cadere, nec eius pudicitiam in dubium potuisse uocari; ubi grauidam uidit, animo percipere, neq. cogitatione sacrum mysterium scibat complecti. Quapropter tam dignam Virginem suspiciens, quippe qui iustus erat, indignum se planè eius familiaritate agnouit. Neq. uerò diuini aspectus

MARIA à cognata discessus.

perlucidum splendorem ferre quibat; et augusta illa maiestate, quam uti caelestem humani uisus horrebant, sibi acié praestrictam sentiebat, in eam ut minimè posset inspicere. Tanta lux, ac lumen eo in uultu erat; ut illo, tanquam sole terrarum orbis, illustrari omnia uiderentur: quin, tanquam ii, qui solem intuentur, tanto fulgore Iosephi oculi hebescebant. Iccirco eorum, quae de sancta conceptione acciderant, prorsus ignarus, à modestissima enim uirgine fuerant celata, uti sacrosanctam rem colens, eam ab se uir iustus dimittere statuerat, non aliter ac Petrus à se repulit CHRISTVM seruatoré nostrum. Dixit sanctus Apostolus; EXI. A. ME. DOMINE quia homo peccator sum. Interim autem sanctus uir animi incertus esse, distrahi cura; grauiq. eam ob rem conscindi solicitudine. Ac, ex sponsalibus ad nuptias, quae nondum perfectae fuerát, animum appellere nõ audebat, indignũ se prorsus agnoscens, qui cum caelesti puella uersaretur. Tunc illum Angelus, diuino splendore omnia perfundés, in somnis adit; hancq. ingreditur orationem:

Cur Iosephus Virginé uellet dimittere.

tionem: IOSEPHE. FILI. DAVID noli timere coniugem tuam accipere MARIAM. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet auté filium, et uocabis nomen eius IESVM. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis. Quo sermone se fidenter, et praeclarè Iosephus confirmauit; et ex summa aegritudine in maximam laetitiam repentè coniectus est; atq. ab eo tẽpore fidissimus semper uirginis comes, et eiusdem maritus uirginitate illustris extitit. Dederat eum DEVS filio suo custodem, tutorem, patrem; commiserat ei Virginem, eiusq. mandarat fidei. Accepit illam pius uir, acceptamq. seruauit: et, quando iam solùm sponsalia ei summus sacerdos exhibuerat, etiam consensit matrimonio, et uirginitatis studio magis incensus eam coniugis retinuit loco. Deinde, ubi ab eàdem certior factus est de nunciata à Gabriele salute, incredibiliter gauisus est. Etenim maximè humilis Virgo anteà idipsum nunquam patefecerat. Quocircà Iosephus tantam semper ei religioné praestitit, quanta rebus sacris habenda est.

Matthaei cap. 1.

Inter Iosephum, et MARIAM Virginale matrimonium.

Cur autem illam uehementer non coleret, quae ſibi ſuis moribus omnium ſtudia conciliare, omnium beneuolentiam colligere poterat? quae ingenuo pudore, manſuetudine admirabili ad ueram religionem omnium menteis ſenſim excitare, ac permouere? atq. in omnium animis ardenteis pietatis flammas concipere poterat? Adeò magnificè, ſplendidéq. uirtutes omnes hanc Virginem ornabant; ut per ſe ad ſe uehementer obſeruandam omneis alliceret. Quamobrem Virginea, et caelibe hac deſponſatione Satan deceptus eſt; ac diuina prouidentia, qua impiorum conſilia ſuperantur, et aſtuti capiuntur in eorum uerſutia, eius fallaciae praeſtrictae ſunt.

Iob. c. 5.

Atqui beatis in hiſce ſponſalibus, integroq. coniugio Virgines ambo, integri, et caſti coniuges Deo ſeruire liberaliter: ei rei ſtudere exquiſitiùs in dies. Eorũ in uita tanquam in nitidiſſimo ſpeculo ſe multi contemplantes, caſtum, et purum illum nuptiarum nitorem aemulati ſunt, ac ſe in connubiis Virgines, caſtosq. praebuerunt. Diuinae huius uirtutis ſtudio elati plurimi coniuges, con-

tinentia

tinentia ad se, Deo adiuuante, uictoriam transferente, pugnacissimos concupiscentiae milites hoc exemplo profligarunt. Neq. in obscuro est eorum fama, sed ueluti perlucidum, et illustre continentiae lumen in excelso, ac sublimi loco nobis praelucet, ac ii ad aeternitatis memoriam praeclaris monumentis commendati sunt. Quis accuratè castitatis tuendae, ardentibus quasi facibus non incendatur? si Henricum II imp., et eius uxorem Ghunegundem Augustam aetatis suae florem, et corporis perpetuam integritatem uirginitati sanctè consecrasse memoria repetat? ò, de quo nulla posteritas silebit, Virginitatis sanctissimum exemplum. Vita excessurus Henricus hanc cum uxoris affinibus habuit orationem. Vestram uobis, quam mihi tradidistis Virginem, habeatis. inuiolata, pura, et intacta est. Aeternis annalium monumentis mandantur Iulianus, et Basilissa, boni, castiq. coniuges; eosq. non minùs castè ab eis seruatae puritatis, quàm martyrii gloria in caelo aeterni aeui compotes facit; in terris illos fama illustrat; memoriaq.

In matrimonio seruata Virg.

Castarũ nuptiarũ exẽpla.

riaq., et historiis celebrabuntur. Deiri Eduardus Britannorum rex, et Editha uxor magnificè sibi aeternitatẽ compararunt; et sanctae puritatis laude uiuent immortali. Tandem nulla aetas de Elzeario, et Dalphina Gallis Massiliensibus silebit; eorumq. puritati in caelo semper aeternum praemium positum erit; à quibus uirginitas mutuo consensu DEO, matriq. eius perpetuae Virgini, ex animo fuit dicata. Sed exeamus ex iis, qui à Virgine DEI matre, quae omnibus puritatis documentum fuit, sibi exemplum castitatis sumpserunt: ad lucidum huius Angelicae uirtutis speculum, ad integritatis uerum exemplum; quo nõ illustrius ullum habemus, quod omnibus ad imitandum propositum est, regrediamur. Dum enim Nazarethi MARIA caelestis partus diem exspectat, ab Augusto Caesare edictum, eius imperii anno XLII proponitur, et peruulgatur, ut singulis in prouinciis nominatim describantur omnes, et in numerũ digerantur; ita ut eorum, qui saeculo illo uiuebant, certus, ac praefinitus numerus rectè subducta ratione esset.

Cedren. 150.

Augusti edictum.

Vni-

Vniuersi patresfamilias oppidatim et uicatim cum tota familia in ea ciuitate describebantur, cui oppida illa, et uici respondebant? Iosephus cum Virgine partui proxima Betlehem, quae Dauidis eorum ascendentis imperio subiecta fuerat, iter maturat. Postquam enim omnis à DEO potestas proficiscitur; sese Augusti Caesaris ditioni adstrictos esse, palam professuri, ac nomen eius potestati daturi erant. Idipsum non sine diuina prouidentia euenit. Cur enim ille, saeuiente tunc maximè hyeme, difficillimo itinere, uim frigoris, quae uix tectis sustineri poterat, excipiens, cum grauida adolescentula in eam iret ciuitatem, in qua, tametsi patria sua erat, ibiq; praedia ac bona et ipse, et Virgo possidebat, tamen nullum domicilium, nec ullas aedeis, in quas se reciperet, habebat. Id profectò diuinitùs euenit. At uerò Betlehem ingressi, tum quia in noctem coniecti, tum quia lassitudine fatigati erant; et audientes omnia diuersoria maximo concursu, et frequentia prorsus occupata esse, in praesepio moenibus cõticuo quiescendi con-

In Betlehemitanã Ciuitatẽ profectio. Cedren. 150.

di consilium capiunt. Praesepium illud erat in solo Salomes obstetricis, MARIAE consobrinae, quae D. ANNAE sororis filia fuit. Agrestis planè locus, et pastoritius stipula, et harundinibus consitus iumentis tantùm frequentabatur; quae illuc uillici, ultrò citroq. euntes, ut diuersorii impensae parcerent, reponere consueuerant. Eheu quò mortalium nunc ambitio, et superbia processit? qui in urbium modum domos iam extruunt; cum tamen Regi Angelorum nascenti sciant diuersorium defuisse? in pauperrimo enim praesepio, media nocte, quo tempore mortales arctiori somno opprimũtur, et ubiq. agitatur silentium, MARIA filium suum primogenitum peperit. Dicitur autem IESVS primogenitus, non quia eius mater alios dehinc liberos ediderit, quae etiam post partum Virgo semper permansit; sed quia mos loquendi apud Hebraeos uigebat; primogenitorum ut nomine unigeniti etiam uocitarentur. Ea autem nocte, quae nobis clarissimum diem deprompsit, lux uenit, et spes salutis; laetissimusq. dehinc hominũ generi dies

Praesepium in solo Salomes.

Nocte IESVS natus.

illu-

illuxit. Nocturnae prorsus tenebrae hac nocte expulsae sunt. Ea planè à somno, in quo arctissimè obdormiscentes sepulti eramus, nos excitauit; arrexit ad caelum animos; menteis ab ea caecitate, qua priùs inuolutae erant, ad lucem reflexit; spem uitae dedit. Serenae huius noctis splendor, ne orbis terrarum perpetua nocte, quae ei priùs offusa fuerat, teneretur, omnia luce consperfit sua. Quinetiam hominum genus, quod in tenebricosa obscuritate uersabatur, tunc uisum recepit. Radiatus Sol ubi exortus est, fulgidis luminibus explenduit; candore suo caelum irrigauit, et undiq. nitentibus radiis praecinctus lumen suũ latè diffudit. tametsi horrida, et acri hyeme, è Virginis utero, eius animi, et corporis puritate seruata, lux nostra se terris immisit; tamen, uti uere nouo frondentia, ac uirentia omnia perpulchros fuderunt flores; laetissimumq. uirentis saeculi tempus floruit. Tẽpestas, quae nos aperto in mari afflictabat, in tranquillum tunc collata est. Quinetiam diuina pietas, uelut amnis qui ex altissimis montib. profluens summas ripas superet,

peret, ut uniuersum totius orbis incendiũ, funestaeq., et infestae faces restinguẽrentur, ad populos omneis foecundissimè decurrit, ac descendit. infirmãtae, et fractae sunt Satanae uires, eius sedata est arrogantia; saeuus ille mucro, quo omnia cruentabantur, retusus est; eius ingluuies, qua plenis faucibus mortalium animas in se auariter ingurgitabat, compressa est. At uerò ad caelum Virginẽ tum mente elatam fuisse, censendũ est; ac Deo apertè uiso clareq. perspecto, nec opinantem peperisse et insperató. Nulli, ut puerperae solent, dolores exorti sunt; nec eos experta est. Existimant sancti uiri, dũ caelestis illa meditatio rapuisset eius mẽtem, ita nube fuisse conseptam, ut neq. à Iosepho, dum ederet partum, uisa fuerit. Immò ubi Angelorum dulciter, et concinnè canentium uocem auribus Iosephus excepit; omnibus illic rebus cõfulgentibus, et caelestem uocem è puro corpore Maria iaciente, ab ipso seorsum religiosè actum illum meditatum, et sanctè cultum fuisse. Itaq. Virgo integerrima, pulcherrimo uirginitatis flore intacto, uiriditateq. sua

Partus Virg. sine doloribus ullis.

sua conseruata IESVM. CHRISTVM DOMINVM. NOSTRVM. AETERNVM. DEVM. peperit, pannisq. inuolutum reposuit in praesepio. Quo die fecerat DEVS luminaria, eo CHRISTVS natus est. Ille dies IIX. kal. Ianuarii laetissime exceptus est; anno ab urbe Roma condita DCCLII, Cosso Lentulo, et L. Calpurnio Pisone coss. imperauerat iam Augustus annos XLII. Cyclus solis erat XIIX, lunae XV. Ac, sicuti matris utero non aperto conceptus, ita clauso natus est. Repente autem Angelus, ueluti sol, radiis suis omnia retexens, pastores qui non longe à Betlehemitana ciuitate gregem custodientes aberant, conuenit. Tanta luce oblata eorum acies compuncta est; ac iidem perterriti sunt; et silentio fixi paullum steterunt. Angelus, ubi illos à timore deduxit, decessitq. eorum ex mentibus formido, hunc habuit sermonem: Ad uos laetissimum, et gratissimum nuncium perfero. Hodie in Dauidis ciuitate natus est; qui genus hominum conseruabit. Ac, ut rei euentu uerum hoc esse exploretis; illic infantem reperietis

Christi natalis.

Cedren. 143.

Lucae c. 2.

positum

positum in praesepio, et pannis inuolutum. Facto ab eo dicendi fine; innumerabilis paenè, caelestium multitudo praeclarè ac modulatè canens, serenis uocibus aerem repleuit; et haec uerba dulcissimo edidit sono. GLORIA. IN. ALTISSIMIS. DEO. ET. IN. TERRA. PAX. HOMINIBVS. BONAE VOLVNTATIS. Illi omnes in caelum migrant. Pastores uerò, quorum animi ab admiratione iam emerserant, nulla interposita mora, Betlehem aduolant. Illic pannis inuolutum, et in praesepio positum infantem uident, atq. MARIAM, et Iosephum adstanteis reperiunt. Quae uerbis nunciauerat Angelus, re ipsa euenisse perspiciunt. Idipsum ut patefieret, et in aperto esset, operam dabant; eiusq. nuncii fama per eam regionem raptim currebat. Interim haec omnia in corde suo cōseruabat, et uoluebat Virgo: admirabanturq. omnes, qui haec à pastoribus audiuerant. Sed illi, quibus propter DEI ortum ingens gaudium ortum erat, bonorum omnium liberalem donatorem summis laudibus efferentes, laeti ad gregem suum

Lucae c. 2.

Caelestium cātu IESV ortus exceptus est.

ſuum regrediebantur. Celeriter autem illuc tota ciuitas, ad Regi ſuo honorem deferendum, concurriſſet, atq. honorificè cum puerpera ille hoſpitio fuiſſet receptus; niſi alto DEI conſilio inſedıſſet; ut nondum omnino filii ſui ortus palam proferretur. Nam, quandiu hic in terris ei morari contigiſſet, à paucis erat noſcitandus; quippe quem ſaepe ludibrio haberi illudi, derideri, ac deſpici oportebat, Quocirca illic ad eius rei indicium ſatis ſuperq. paſtorum teſtimonium DEO uiſum eſt. Quandoquidem expreſſiſſimis ſignis id alibi apertum, et ſignificatum eſt. Primum enim templum pacis Romae ita extructum, aeternum ut diceretur, ea nocte corruit, et à fundamentis conuulſum eſt. Poſt Engadi uineae, quae ubertim balſamum efferre ſolitae erant, licet ſaeuiret tunc hyems, diuinitùs floruerunt, floribuſq. conſperſae uiſae ſunt. Romae itidem è fonte, unde puriſſimae aquae fluere ſueuerãt, totum illũ diem oleum copioſè manauit; ſummaq. celeritate in Tyberim decurrit: indicabatur tunc DEI miſericordiam è caelo deflu xiſſe;

DEI ortus teſtimonia ac ſigna.

Caniſius 451.

Lãdulph capit. de natiuit. CHRISTI

Oroſ. hiſt. lib.

6.cap.18 xisse; ac super terras fuisse effusam; eaq.
cap. 20. diuinae clementiae uim caelo repente
Canisius missam, qua orae uniuersae rigari pos-
706. sent. Fontem perennem, qui nunquã obstruitur, nec praecludi potest, aperuit misericors DEVS; atq. illinc tunc ad nos pietas profluxit. eõdem die aureus in sole orbis perspectus est. Illius in
Landul- medio Virgo lucentibus radiis praecin-
phus c. cta, quae lactentem puerum in sinu ge-
de CHRI stabat, apparuit. Consulta ab Augusto
STI na- de ea re Sibylla, quã una cum aliis maxi-
tiuitat.
Sibylla- mum desiderium MARIAE iam tenue-
rum erga rat, respondit: QVEM in sinu Virginis
Virginé paruulum infantem uides, ò Auguste,
summa maior te est: illum proiectus demissè,
religio. ac sanctè uenerare; prosterne te ad eius pedes.
Pacis té- Ceterum ille, qui dulcissimam
pore pa- pacem nobis cum patre conciliauit, pa-
cis prin- tri aequalis, è puella Virgine tunc natus
ceps na- est, cum uniuersae terrarum orae laetis-
tus.
Velleius sima pace planẽ compositae essent.
pag.117 Simul atq. salutis nostrae princeps et au
Cedren. ctor ortus est, repentè uocẽ omnibus in-
148.149 fantibus similẽ ab eo ploratẽ emissam di cũt. Itaq. uox illa querula ex eo erat, quia, in quãtas miserias, uti homo, proie-

ctus,

ctus esset, quotq. sibi aerumnae obie-
ctae, quot proprio sanguine persoluēdae
essent, sētiebat. Eo uagitu a sancta medita
tione illa, qua prorsus ad caelum fuerat
abstracta, excita Virgo humi proiectum
infantem uidet. Cōstanti illum fide,
et intima pietate diuino cultu prosequi,
ac uelut aeternum DEVM sanctè uene-
rari incipit. Confulgebat ibi praese-
pium, quasi sol luceret. Puerum gla-
ciali, et frigido anni tempore bos, et asel
lus, qui illic erant, anhelitu fouebant.
Asellum MARIAE iumentum credide-
rim. Dum enim partus ingrueret, et
instaret propè, quamuis nullo ob eū one
re, à quo potiùs adiutabatur, grauata
esset; tamen iter pedibus conficere, par
non erat. Bouem ab aliquo uillico in
praesepio illic repositum existimarim.
Interim mater sanctis uberibus, et lacte
Virginali, quo, diuino miraculo, caelesti
ubertate statim abundauit, infantem la-
ctare, mirifica diligentia, et studio ale-
re; tractare molliter; semper timere, ne
teneri artus, aut membra aliqua in parte
laederentur. Petebat ille nota matris
ubera; mater collo manū, et brachia le-

niter subiiciens, molli amplexu filium fouebat. Ea tūc, oculis in dulcem alumnum intentiùs defixis, multa secum in animo trahebat. Meditata enim primium est, in quantā aerumnam se caeli Rex coniecisset, qui pro peccatis nostris morti, ultrò obnoxius factus fuisset. Deinde eius diuinitatem agnouit; quia nullis in partu doloribus afflictata est. Sensit tandem ad DEI gratiam homini aditum patefactum esse. Id quod ex Angelorum cantu compertum est; quorum suaui uoce aether dulcissimè personarat; suauibusq. eorum concentibus, et harmonia completus fuerat. Etenim Virginis, pastorumq. ad aureis Angelicae uoces, ex caelestibus nimbis profusae, delatae, uerbaq. illa exaudita sunt: GLORIA. IN. ALTISSIMIS. DEO. Sed, dum Angeli modulatè canentes laetitia palam exsultant, et DEI laudes amplissimis enarrant uerbis; perpendamus, quae cacodaemonibus tunc aegritudo intercesserit; in quam detestabileis uoces eruperint; quas exsecrationes euomuerint, eructarintq.; quo extabuerint squalore, quo luctu. Intelligebant tūc

Damasc. orthodoxae fid. libro 4. c. 15.

Regem

Regem illum natum esse, ac prodiisse è uirgine, à quo Satanae superbè se efferentis supercilium retundendum erat. Homini enim lapso ita conciliatam oportuit DEI gratiam; ut quia hostis noster in fraudem illexerat mulierem, ipse itidem per mulierem Virginem uinceretur, prosterneretur q. scelestus, ac debellaretur ab eius filio. Immò, quia uel Herodes, qui per tyrannidem tribui Iudae regnum Hierosolymitanum occupauerat, uel in Herode morans Satan maturasset surgentem Iudaeorum regem, uel simul ipsam matrem Virginem è medio tollere; illis impium consilium extortum est; resq. sanctissima eisdem spõsaliorum uelamento tecta, et in occulto fuit. Quocirca priùs natum CHRISTVM perspexere, quàm conceptum scirent; ac tenebrarum incolae, Luciferi satellites, innumerabiles legiones, à quibus quotidie acerba funera mortalibus obiiciebantur, à quibus hominum genus diro exitio, tanquam à saeuissimis tortoribus excarnificabatur, Virgineis pedibus se protritos iam, et conculcatos sentiũt. At uerò caelum ipsum expresso aliquo

ſigno gaudium ſuum indicaſſe, ſuaeq. laetitiae dediſſe teſtimonium, credēdum eſt. Illuc enim eius Rex, qui natus erat è Virgine, clariſſimis trophaeis ampliſſimè ornatus, celebribus triumphis ſplendidiſſimè actis, inſignibus uictoriis locupletatus, ubi à morte reſurrexiſſet, aſcenſurus erat. Ipſe autem Rex maximus quàm demiſsè, quam humiliter, quàm abiectè ſe, dum ortus eſt, geſſerit; quàm ardens in praepotenti omniū rerum domino ſubmiſſionis ſtudium ſemper extiterit, quaeſo hic contemplemur. Num caeli principem purpurei panni, auro cō texti, gemmiſue diſtincti, aut margaritis inſperſi texerunt? Num regio apparatu exceptus, lauteq. ueſtitus, aut exornatus eſt? Num domus maximo ſumptu aedificata, num illuſtre domicilium, munda ſuppellectile inſtructum, ornatū ſignis, aut picturis eum recepit? ſancta, quidem et auguſta caeli, terrarumq. orbis templa ad omnem aeternitatem dedicata, conſecrataq. ei fuere. Tunc depoſita Satanae poteſtate, eiuſq. uiribus attritis, ad IESVM mundi, ac caeli architectum, immutabili conſtantia concinen

CHRISTI naſcentis humilitas.

tibus

tibus inter se rebus omnibus, continuata perpetuitate summa imperii delata est. Tantus Rex, qui nec toto terrarum orbe capi potest, in agresti tuguriolo diuersatus est? aeternum quidem caeli atrium ei paratum erat: diuinos artifici suo honores natura liberalissimè, et libentissimè tunc detulit. Sed haec humilitatis uirtus, altissimis defixa radicibus haereat in cordibus nostris: in mentibus nostris, uelut in luce posita laetetur; in odium lutulenti, ac perniciosi superbiae uitii uocemur. Namq. illinc funestae sunt, et infestae faces, uniuersumq. totius orbis terrarum incendium. Animos ad uigilantissimum pastorem intendamus, qui dispersas, et in fugam coniectas oueis, quarum praeda hostis locupletabatur, dum una cogit, et reuocat, se mortalibus periculis dein obiecturus, in praesepio natus est. Ex aeterno lumine lumen excitatum est. Sed à sacrosancto Virginis partu digrediamur ad ea, quae consecuta sunt. Etenim octauo die exacto, innocens, et immaculatus non aliter humanae legi se adstrinxit, ac si peccatoris prae se imaginem tulisset; seq. circumcisioni,

CHRISTVS pastor.

Ioan. 10

CHRISTI Circumcisio.

quo tamen iure solutus erat, obnoxium faciens, est circumcisus. Ac ei, ut Angelus monuerat, IESV nomen inditum est. Dehinc, ut pio cultu diuinitate praedito infanti religionem purè tribuerent, eumq. uenerarentur; Magi reges ab oriente magnis itineribus progredientes; stella expedito cursu antecedente,
Matth.2. Hierosolymam appellunt. simul atq. urbem illi ingressi sunt, stella reiecit se ab eorum conspectu. Itaq. itineris duce iam destitutos sciscitari oportuit, ubinā Iudaeorum Rex nasceretur. Eo nuncio exanimatus Herodes, principum sacerdotum, et scribarum concilio celeriter conuocato, diligenter, quonam in loco ille nasceretur, perscrutatus est. Illi, Props heticis libris repente consultis, in Betlehemitana ciuitate IESVM nasci oportere, respondent. Tunc, clam ad se accitis Magis, tempus, quo stella primùm coeperat praelucere, summo studio inuestigauit tyrannus. Eos deinde monuit, ut Betlehem iter maturarent; quin ab eisdem etiam precibus contendit, ut se de habito pueri indicio redeuntes certiorem facerent. Eam rem quo facilius

ab

ab illis regibus impetraret, omnisq. suspicio sedaretur, se quoq. illuc proficisci decreuisse assimulat, ut debitum Emanueli cultum praestaret. At uerè crudele consilium animo agitabat. ubi Hierosolyma egressi sunt, quae latuerat stella in eorum prospectum se dedit; iccirco mirifice laetati sunt. Simul atq. Betlehem introiere, Stella itinere desistens, neq. ulteriùs progrediens, commodùm illic, ubi erat IESVS, eius reperti signo quasi elato, constitit. Stella perlucida, et illustris non ex eis erat, quae ab ipso mundi ortu creatae sunt. Nunc enim ab ortu ad occasum, nunc à Septentrione ad Austrum progrediebatur; nunc latebat, nūc se se rursus indicabat. Quae res longè differt ab aliarum stellarum natura, et ordine. Dei tunc iussu conflata, deinde dilapsa credenda est. IESVM uerò non in praesepio tunc à Magis repertum fuisse, coniectura persequi licet. Tametsi enim ibi eum pastores adorauerant, posteà à Ioscpho paupere aliquam domum fuisse conductam, coniiciendum est; ut illuc cum puero, et puerpera, graui praesertim hyeme, se reciperaret, Il-

Matth. 2.

Magorū Stella.

Damasc. orthodoxae fid. libro 2. c. 7

lic Iudaeorum Regis pedibus prouoluti Magi, liberalibus allatis donis, augustiſ ſimè eum uenerati ſunt, honorem ei, cul tum, et preces ſanctè adhibuerunt.
Ceterùm uix animo cōcipi poteſt, quàm celeri curſu, quàmq. uelociter eas in oras illi peruolauerint; qui ab extremis orientis partibus ad Iudaeorum fineis, quorum regio in medio orbe ſita eſt, XIII. dierum itinere, tot prouinciis peragratis, peruenerunt: ſic eos DEVS adiuuat, quos ſibi propenſos uidet. Illi autem multò maiora audiuerunt, uideruntq., quàm cuiuſquam poſſit cogitatio complecti, et non ſolùm eorum expectationi rei euentus conſenſit; ſed maximo etiam ſuperauit interuallo.
Lactentem puerum in uirginis gremio ſedentem, mammamq. appetentem ſanctiſſimè coluerunt. Quinetiam lucidum illud Virginis lumen, in quod inſpicere, ſolida eſt felicitas; cuius diuinus, mirabilisq. ſplendor nobis peperit lucē, eorum oculos diu tenuit. Serena illa, et concinna Reginae Angelorum uoce, cuius ſonus caeleſtibus periucundus eſt, eorum aures quàm diutiſſimè oblectatae ſunt.

tae ſunt. Ipſa enim, cuius diuino ex ore aurea uerba dulciter fluunt, longos ſanè, et gratos cum Magis habuit ſermones. Multis praeceptis, quae ad piè, ſanctéq. uiuendum homines erudiunt, illi ſcitè, liberaliterq. ab ea inſtructi ſunt. Quae igitur fide tantùm priùs complexi fuerant, certiſſimis ſignis rei exitu eueniſſe, optimè perſpexerunt; multaq. uiſu mirabilia, auditu diuina ab iis uiſa, auditaq. ſunt. Tandem impetrata uenia, teneroq. puero oculis, et oſculis dulciter, et intima pietate adfixis, ſtatuerant diſcedere. Ignari uerò impiorum Herodis conſiliorum, Hieroſolyma tranſire, eúq. de reperto DEI filio monere, animum induxerant. At ea nocte, quae diſceſſus diem praecedebat, Angelus in ſomnis oblatus eis, ne ad Herodem redirét, edixit. Eo itinere illi ſe auertentes, per diuerſam uiam in orientem profecti sũt. Verùm, dum iter ſuum Magi accelerant, non permittam, ut inſtituta de Virgine, ac filio hiſtoria elabatur, aut excidat. Nam, poſt Emanuelis natalem, die quadrageſimo, de primogenitorum oblatione inſtitutum ſtrictè in eo obſeruatur. Leuit. cap. 12. Num. cap. 8.

Cedren. 154. n.5. Voluit Rex ille, penes quem rerum omnium, ac regnorum summa est, ac potestas, inter pauperes, innocentissimus DEI filius inter eorum, qui se peccatis immerserunt, natos offerri. Immo, qui patri aequalis erat, serui imagine capta, perpetuam ei obedientiam praestitit.

D. Paullus ad Philipp. c. 2.

Leuit. c. 12.

Lex Hebraeis erat, ut quae peperisset mulier, quia profluuio sanguinis immunda esset, aliquot dies abstineret à sacris. eo tempore exacto templum adibat, filiūq. offerebat Sacerdoti. Quae diues erat puerpera agnum, et turturem; quae pauper duos turtures, uel pullos columbarum offerebat; mundaq. fiebat. Primogenitum autem pretio redimebat; redemptum sibi pleno iure uendicabant parentes. Huic instituto ille, qui legibus omnibus solutus est, demississimè subiecit se; et pauperum more oblatus patris domum decorauit, publiceq. ipse, cui imperium illud, quod super omnia maximum, clarissimum, notissimum est, quo cum nullum regnum, nulla dignitas exaequatur, conciliatum est, honestauit. Illuc enim sanctissimae matris Virginis manibus allatus, gratissima patri aeterno

Cedren. 154.

Exod. cap. 13

DEO hostia extitit. Quapropter tunc non modò Simeonis, sed etiam multorũ Emanuelis desiderio diù, et acerrime ardentium exspectationi responsum est; tunc candidae, et purae fidei lux in multorum animis uehementiùs acensa, excitataq. est. Tanto gaudio cumulatur Simeon, tam effusam laetitiã percipit; ut dein ab humanis rebus omnibus reiectus, et prorsus abstractus mori, quàm uitam longiùs producere exoptet. Eo aspectu exhilaratus, ad uitae exitum, qui sibi in illum diem praefinitus erat, libenter uocabatur: siquidem à SPIRITV sancto responsum tulerat, non priùs uita se excessurum, quàm suis oculis IESVM uidisset, et à Virgine filius fuisset oblatus. Itaq. si unius temporis momenti congressu pius senex, dum in DEI filium inspicit, beatus factus est, quanta MARIAE felicitas fuit, quae illum concepit, gestauit, peperit, lactauit, complexa, et osculata est? Quae sanctis eius sermonibus animũ mira suauitate dulciter nutriens, sereno illo prospectu tam saepè se recreatam sensit? quae illum semper uidebat? Ceterumeo die puerperae personam tam

Lucae 2.

modestè,

modeſtè, tam ſanctè ſuſtinuit, nihil utſuprà. Quae a puerperis lege, ac ritibus Hebraeis exigebantur, cumulatè, et exactè tunc perſoluit. Quaenam huic legi magis obſequens fuit? quaenam minùs debuit adſtricta eſſe? Nam DEI matri quid cum aliis puerperis commune? in quam nec de uiri contactu cogitatio unquam cadere potuit? quae grauida ex SPIRITV ſancto facta eſt? quam nulli in partu occeperunt dolores? Cur purificationis lege ea liberè non eſſet ſoluta, quae nil ſordidum, nil concretum, nil quod expurgandum eſſet, unquam contraxit? quae ante partum, in partu, poſt partum, pura, ſancta, immaculataq. ſanctè, et conſtanter ſeruata eſt? Ea tamen omnia libentiſſimè in templo praeſtitit, quae tùm ritu, tum inſtituto Iudaeorum uel ab infimae conditionis, et abiecta quauis puerpera conſueuerant exigi. ò felicem Hieroſolymitis diem, ſi illum norint. En is, quem Propheticae litterae uenturum non dubiè praenunciarunt, iam à Simeone agnoſcitur. En Virgo illa, quae per Eſtherem, Iudith, Rebeccam praeſignata eſt, apertè graui,

D. Bernar. ſerm. iii. in purificat. virg.

ac

ac firmo teſtimonio indicatur. Vates Simeon maieſtate, grauitate, ſenioq. uenerabilis; cuius ex ore DEI uerba profundebãtur, laetis ſimul, et triſtibus nunciis DEI matrem impertit, eiq. ſalutẽ nunciat. eodem momento laetitia moerore expulſa, laetitiaq. moeror, ac miſtum dolore gaudiũ ab ea perceptũ eſt. Exultauit enim, cùm ibi per Simeonem filius omnibus innotuit. Verùm, ubi eius aſpera mors, et graues aerumnae nõ obſcurè praedictae ſunt; acutiſſimum in ſacrae Virginis pectus telum cõtortum eſt; ſcriptum eſt, ac inciſum in eius corde Simeonis illud dictum. Ibidem Anna Phanuelis filia DEI filium palam, et ingenuè confeſſa eſt; ac publicè praedicauit. Praeclarum piae mulieris, cuius tota aetas mirifica abſtinentia, ac temperantia piè, innocenterq. acta erat, teſtimonium. Nobiliſſima, et primaria mulier, uti aetas, uitaeq. ſtatus tulit, ſe pudicam Virginem, honeſtam coniugem religioſam uiduam praebuit; inſigniſq. Prophetiſſa, illuſtrata à DEO mente, optimè Emanuelem agnouit; et quantùm poterat uoce contendens, ut populus

Simeonis uaticinium.

Anna Phanuelis filia.

exaudiret,ueritatem confirmauit testimonio,ac laude. Omnium igitur,qui illic erant,oculi in puerum deflexi, repenteq. conuersi sunt. Illius in uultu quoniam diuini aspectus uis quaedam apertè elucebat, omnes, magna concepta laetitia, missum sibi è caelo Regem laetissimis animis acceperunt. Deinceps Virginem eius matrem, exploratè cognitam habentes, sanctè illam suspiciebant, ac uenerabantur. Sancti uerò illius diei quotannis solenni ritu,et caremoniis Februario mense, cui à purgatione inditum est nomen,honestādi mos sanctissimus uiguit; cereaq. funalia circumferuntur. Nam quae olim apud caecos Idolorum cultores, in Cereris, Proserpinaeq. detestabilē memoriam inualuerant, nūc in sacratae Virginis laudem piè,augusteq.cōuertuntur. Qui dies olim festus actus,et stultè institutus fuerat,nunc piè sanctèq. Virgini matri solennis celebrari consueuit, Quid uerò aliud accensis illis luminib., que eo gestantur die, significantur,quàm nobis itidem, ut Simeoni laetissimum, ac luculentum illum eluxisse diem? ac nobis effusam laetitiam communicari,

Cedren. 139.

D. Aug. cōtra Faustum lib. 18. c. 5.

Februaria.

quae à Simeone, cùm in ulnis infantem CHRISTVM habuit, percepta est? Quinetiã, sicut apes ceram melle mistam uberrimè efferẽtes, nullo inter se miscentur congressu, nulla soluuntur libidine, sed dolorum prorsus expertes, filiorum examen emittunt; ita candidis hisce cereis luminibus apertè declaratur, è MARIA Virgine liberatorem nostrum, uteri integritate constantissimè seruata, et sine dolore ullo genitum esse. Dein, queadmodum praeclarissima, et ualde nitentia illa lumina, quae eo die à nobis gestantur, è pulchris, et uariè pictis floribus, quos terra effundit, decerpta, ac delibata, fructus sunt apis Virginis animantis; ita CHRISTI caro è carne suauem omnium uirtututum odorem afflante processit: neq. dum ingressus, aut egressus est, uiolauit unquã matris puritatem. Sed iam quaecunq. consuetudine, ac lege Iudaeorum nominatim praescribeban tur, à parentibus circa puerum cumulatissimè erant persoluta. Magi autem, exhausto, et recepto Angeli mandato, Herodis spem frustrati fuerãt; neq. ad eum concesserant. Interim Iosephum Angelus

Apis uirgo animans.

gelus in somnis cōuenit, mandatq. ut cū puero, et puerpera in Aegyptū protinus aduolet; nec inde prius, quàm iterum sit monitus, discedat. Etenim docebat caelestis nuncius, id Herodi, qui magnis irarum fluctibus uoluebatur, propositum esse; ut è medio infantem tolleret. Iosephus atroci re percitus se illinc statim subduxit, ac nulla interiecta mora exsurgens, cum puero, et matre itineri se adcinxit; ut in Aegyptum quàm celerrimè arriperet fugā. Non dici potest, quanta ob illum nuncium ei, ac Virgini iniecta sit cura. Quem enim repentina illa fuga non exanimasset? cui ingens non incessisset formido? Cui terror ille non erripuisset mentem, cùm obscuro lumine subitò discedendum, salusq. alibi esset petenda? Quàm graue, quam acerbū, ne minimo quidem ad res suas componendas spatio dato deserere patriam? affineis? amicos? in alias regiones improuisos, et nec opinantes peregrè abire? Quantus, ò IESV clementissime, in itinere illo Virgini matri, et custodi labor obiectus est? Quàm acerba eos solicitudo pressit, dum suspensis animis essent

Matth. 2.

Cedren. 154. n. 9.

Fuga in Aegyptū

ſent anxii,ne tu cariſſimum pignus intercipereris in uia? alicui offerreris periculo? in aliquod inferreris diſcrimen? Dedit quidem ad languorem MARIAM difficile, aſperum, et pedeſtre per colleis iter; cum Nazaretho in Iudae ciuitatem ad Elizabetham conceſſit. Laſſitudine uicta eſt; cùm maturo partu Betlehem ad edendum ſub Auguſto nomen, ubi dehinc peperit, properandnm fuit. Laborioſa fuit uia, dum ad offerrendum DEO filium ſuum diſceſſit. At in Aegyptum repentina peregrinatio, dum magna diurna, nocturnaq itinera alias nationes, aliam ditionem petens facit, et loca incognita luſtrâtur; quam laborioſa fuit, quam difficilis, quàm incõmodi plena? Dum quotidie de filio aegritudo, et metus magis augeſcit, dum, ne ab aliquo fuga intercludatur, timet, quàm grauis ei inuſtus eſt dolor? quoties uerò nocte oppreſſa Virgo ſub dio cum puero manſit? quoties rerum uictui neceſſariarum inopia preſſa eſt? quàm ſaepè eos ſub terra proſtratos ſomnus percepit? Felix ò ſolum, in quo coetus ille ſomnum cepit. Dignum certè fuit, quod uiridan- Aegyptiaci itineris incõmoda.

tibus

tibus herbis, et purpureis floribus statim consspergeretur, et egregiè pingeretur. Fausta ò terra, tui sint perpetuò uestitus uirides, te hilaret caelum, te ubertim rores irrigent. Ceterùm, ò Regina, te nec pluuiae, nec uētorum asperitates, nec aduersum anni tempus, neq. ulla cohibuerunt incommoda. Profectò sacrata DEI sponsa cū pio custode quascunq. aerumnas leniter, et placatè ferebat; libenter quoscunq. excipiebat labores; et quò grauiores fiebant solicitudines, atq. ingrauescebant magis, eò maior patientiae cumulus accedebat. licet autem quotidie aduersi aliquid accideret; eorum spes nunquam extenuabatur, aut euanescebat: siquidem illis planè compertum erat, fore, ut post Aegyptiacam, et huius uitae peregrinationem, atq. exsilium florens, et tuta in caelo patria definiretur. Verùm, dùm in Aegyptum Virgo iter accelerat, et fido Iosepho comite, unà cum puero magnis itineribus progreditur; ad Herodem conferemus nos, cui iam promissi Magorum reditus spes est praerepta. Is, ubi per aliam regionem eos expeditè in orientem rediisse

Singularis MARIAE patientia.

se,ac se illusum sensit; deiectus illa spe,in quam fuerat coniectus,quippe qui de nato Rege indicium ab illis habitum iri credebat, summa iracundia elatus acriter exarsit. Itaq. metuens, ne Iudaeorum regnum,quod per tyrannidem occupauerat,iniusteq. dein obtinuerat ab Augusto, ad IESVM deferretur; edicto promulgato iussit, ut in ciuitate Betlehemitana pueri à bimatu infrà, usq. ad illud tẽpus, quod stellae indicio à Magis perquisierat, ad unũ omnes nefariè interficerẽtur. acerbum odium raptim incurrens, tanquam malum uenenũ,quod, ubi epotum est, in uenas,et in omneis corporis parteis emanat,totum prorsus tyranni animum occupauit. Neq. uerò longè, lateq. fluentibus innocentissimi sanguinis riuis profunda eius sedari sitis, nec tot infantũ caede exsatiari potuit eius crudelitas,neq. immaculati cruoris flumine refrigerari, aut extingui potuit eius iracũdiae ardor. Dum saeuitiae suae crudelis tyrannus tam foeda exẽpla edit; nec irae, quibus impulsus praeceps agebatur, auelli possunt, ex eius manibus DEI filius elabitur; qui ut primùm Aegyptum attigit,omnia Idolorum

Cedrenus 150.

Matth. 2.

Cedrenus 154.

Innocentũ caedes

Canisius ex Cyrillo, Nicephoro, et Callisto 126.

simulacra, uelut praesentis numinis aduentu ibi planè deiecta corruerunt: quae res scriptis, constanti fama, sermone omnium celebrata est. Nam quando necesse erat, illic terrarum, caeliq. imperium esse, ubi esset CHRISTVS; cur omnem cultum, et sacrificationem malorum daemonum simulacra non renuerent; ac se uero DEI filio prosternerent, cuius nomini omnes genua inflectuunt; eiusq. non tantùm ad pedes, sed etiam ad nutum se demittunt omnia. Interim animi se se angebat Herodes, qui Regem Iudaeorum natum esse, indubitanter sciebat: neq. id poterat celari, quod ex Elizabetha, Zacharia, pastorum nuncio, Magorum uerbis, oblatione in templum, prorsus erat perspectũ; de quo non modò fama, sed etiam laetitia peragrauerat. Verùm ei animus ita caecatus, eaq caligine depressus erat; ut spe Magici promissi sustentatus CHRISTVM in eorum reditum perquirere distulerit. Dum impius esset in exspectatione, rediere in patriam Magi; et IESVS à matre è Palaestina in Aegyptum incolumis perductus est. Itaq. in calamitoso, paupere, et rerum omnium

Aegypti simulacra CHRISTI aduentu cõcidisse.

CHRISTI ortus testimonia

egenti

egenti exilio septennium plùs minùs ibi morati sunt. Post, ubi Herode mortuo, compressum omne periculum, et res in tranquillum collata erat; peregrè iam oportebat redire. Quocirca Iosephum Angelus, ut cum puero, et matre reditum adornaret, ac meditaretur, identidem monuit; quòd ii, qui in Virginis filii necem conspirauerant, è uita iam excessissent. Ille, nulla illata mora, unà cum ipsis in Israelitas iter parat; quò simul atq. appulit, audiens ab Archelao Herodis filio, Iudeae regnum, Augusti potestate delatum obtineri, pueri uitae meliùs consultum existimans, ac monitus in somnis, Nazarethũ in Galilaeam maturè est profectus. Nam Prophetica uerba ad rem ipsam collata oportuit; ut à matris patria, atq. ab ea ciuitate, in qua fuerat conceptus, diutiùsq. habitauerat, Nazarenus diceretur. Illic mirificos diuinitatis, et sapientiae suae amores sensim excitans, ac se mirabilem indies omnibus praebens, quò aetate magis crescebat, eò copiosiùs gratia ac sapientia in eo crescere uidebatur. Omnia tamen usq. à conceptu tam perfectè in illum influxerant;

Septẽnii exiliũ in Aegypto. Canisius 191.

Cedrenus. 151. Matth. 2

Reditus ab Aegypti exilio. Matth. 2

S.Bernar. Homil.2. de B.virg.

ut nihil supra. Itaq. aetatis auctu sapientiam illa, qua tum primum fuit praeditus, grandescens paullatim exprome-bat. Gratia illum crescere omnes arbitrabantur; quia illustriora indies diuinitatis suae documenta edebat. Quin caelestes illae, et diuinae dotes, quibus tam magnificè, et amplè ornatus fuerat, uti lucidissimae stellae in eo explendescebant; eius uirtutum sol omnia illuminabat, ac luce complebat sua; et maiorem indies apud homines uirtutis opinionem assequi, et magis ornatè iis illustrari uidebatur, quae in ipso tùm primum absolutissima fuerunt. Quid enim in CHRISTO nō absolutū, non perfectum esse poterat? cuius cum sacratissima anima, et corpore eodem momento DEI uerbi unionis ea coniunctio facta est, ut nunquam ab eo diuinitas separata sit? ut indissolubile illud uinculum semper permanserit? nulluq. in huiusmodi foedere repudium unquam intercesserit? Tandem solennem Parasceues diem celebraturi mater, et Iosephus illum Hierosolymam secum perduxere. exacto eo tempore, quod illi diei sacro ritu honestando sanctè, praescri-

Diuinitas à CHRISTO nunquam separata.

Damasc. orthodoxae fid. lib.3. cap. 27.

scriptum erat; Nazarethum contendunt. Virgo existimans filium cum affinibus de DEI uerbo, uti consueuerat, differentem subsequi, et non longè abesse; diuinis sermonibus intenta, fidenter cum comitibus paullò longiùs procedit. At puer inscia matre manserat in templo; quem ubi ea ab oculis abductum sensit, amissum suspicatur. Ea re quàm grauiter MARIAE cor sauciatum, quibus curis Iosephi animus obrutus, ac suspensus fuerit, non dici potest. Itaq. acerbo dolore diuulsi eũ studiosè conquirere; loca omnia peragare; ubi inueniant, ubi inuestigent, prorsus nesciunt. quoquò eunt, rogitant; sciscitantur omneis, ut de filio indicent. lacrymas copiosè fundentes huc, atq. illuc uagantur. Immò, profusis ab intimo corde querelis, hanc à Virgine uocem emissam conicio: eheu, nate, quid in Aegyptum iuisse profuit? Herodis ut è manibus, ne insatiabilem in te crudelitatem exerceret, euaderes? sì, dum periculum omne discussum, et te magis tutum existimo, hic periclitatus es? ac, dũ te ponè subsequi nobiscum opinor, è cõspectu amissus es meo? Eheu uereor, ne paterni odii heres Ar-

Luc. 2.

CHRISTVS duodennis à matre amissus.

chelaus ab aliquo indicatum filium meũ mihi surripiendum curauerit. Sed me solam acerbè, et asperè accusem: in me omnem culpam conferam. Nam cur tam carum pignus diuelli à me passa sum? incogitansue è complexu meo dimisi? ac è tam precioso thesauro oculos quoquam dimoui? cum sanguine coniunctis dum non longè à me disiunctum esse filiũ existimo; hoc obiectum est malum. Summo illi gaudio, quod me in templo, aeterno DEO precibus adhibitis, incredibiliter perfuderat, insignis hæc permista calamitas; effusa laetitia maxima aegritudine contaminata, iucunditas incredibili adspersa est molestia. Vbi inuestigem nunc? quem perconter? quam insistã uiã? Nitentibus oculis lacrymis suffusis, quò non adiuit Virgo? quò non in illa regione accessit? Defessa iam erat quaeritando, nullumq. omiserat locũ. Illic quia nullum erat indicium, cum Iosepho Hierosolymam iter maturat. Nemo interueniebat, nemo occurrebat in uia, ex quo non rogitaret de filio. Totum triduum illo conspectu aegerrimè carentes, eũ grauiter luxerant. Deniq. nunciatur, in tem

Virginis ob amissum filiũ dolor.

plo illũ cũ sacerdotib.,ac seniorib.acriter disputare,eiusq. sciẽtia,ac prudẽtia apertè uictos omneis obmutescere,et à puero na tu minimo maximos aetate superari. E caelo diuinitùs demissus esse dicebatur; tanta in eo uigebat doctrina, tam caeleste ingeniũ elucebat. In profundam admirationem eius responsis omnes immergebantur: IESVM, à quo in sancto,et longo sermone diutiùs tenebantur, magno silentio audiebant. Mirabantur omnes, cur tanta in illa aetate uirtus enitesceret, tantaq.esset ingenii maturitas,quanta nec in iis,qui exactiori,prouectioriq.sunt aetate, esse potest. Videbant ei suprà aetatem,suprà mortalitatem omnia tributa esse. Illum ubi mater incolumem, disputantem, et tanta populi frequentia stipatum uidet,paullatim cõceptum dolorem abstergere; propensiùs in eum defigere oculos; maximè attento animo clam obseruare. Quandoquidem in filii prodire conspectum, nec se illi priùs indicare uoluit,quam disputandi finis factus fuisset. Omnibus dimissis,IESVS surrexit. cum hilaris mater Virgo amplexans,osculansq. hanc habuit orationem: Fili quid

Repertus in tẽplo IESVS.

Virginis modestia.

fecisti nobis sic? quò tantisper ab oculis nostris concessisti? Dùm te perquisiui, à
Lucae 2. Simeone praedicto gladio pectus meum grauiter expungi, et transuerberari uisum est. Deinde Iosephus tanto pressus est dolore, tantum, te quaeritando, excepit, ac sustinuit laborem, quãtus uix ferri potest. Illud à filio responsum MARIA refert: QVID EST QVOD ME quaerebatis? An nesciebatis in iis, qnae patris mei sũt,
Lucae 2. oportere me esse? Apertè significauit, de se nullum periculum fuisse extimescendum: nec matrem, et Iosephum afflictari oportuisse, quando aeterni patris uolunluntati ipse prorsus seruiebat; neq. ullum ob eorum contemptum illud triduũ Hierosolymitano in templo fuerat. IESVM tunc illo à parentibus secessu, totum in diuinum cultum conuersum fuisse, et de sacris rebus cũ Israelitis longum habuisse sermonem, ad DEI maximam gloriam spectauit. Quandiù uerò abfuit, solicitae matris, et Iosephi ei maxima incessit commiseratio; cui illud itidem, ut parentibns dolebat. Ceterùm, quamuis scriptum sit, ea uerba, quae tùm protulit CHRISTVS, non fuisse intellecta à matre; nunquam

tamen quisquam de rebus diuinis bene sentiens adduci poterit; ut in MARIAM eorum ignorationem cadere potuisse existimet. Immò ea mysterium illud, quod sibi exploratum, et compertum erat, eo tempore celauit, magna interim fide omnia complectens. Nam dehinc, cùm se obtulisset occasio, illud ad DEI nutũ aperte indicare, et ubere cum fructu aliis patefacere, praeclare erat parata. Eam tum prudentiam, quam ad res omneis sueuit adhibere, Virgo prudentissima praestitit. Ac, filio in terris docente, matrem silentiũ decuit; postquam in caelum ille conscendit, ipsam oportuit loqui, cuius praeceptis scitè Apostoli instruerentur, atq. ex intimo illo SPIRITVS sancti sacrario diuina secreta profunderentur. Quandoquidem secretis caelestibus per eam uerissimè memoria propagatis, ecclesia catholica aedificanda erat; sanctissimorumq. DEI matris sermonum domiciliũ in Apostolorum auribus constituendum erat. Cur autem pura haec Virgo diuinorum cõsiliorum ignara esset, cui priùs sacrum Euangelium, quàm ulli homini innotescceret, ab Angelo egregiè traditum est?

Canisius. 453.

D. Bernar. Homil. 4. de B. virgine.

MARIAE ante oĕis Euang. traditum

Interim Iesvs Nazarethum una cum parentibus redit; illis se planè morigerum, et obsequentem praebet; eius uoluntas cum eorum uoluntate omnino cõsentit, illis se totum subiicit, ac honorem ex animo praestat. Haec mente euoluens mater, accuratè in corde suo omnia conseruare, et conferre cùm iis, quae à Prophetis de ipso scripta legerat. Immo quicquid à puero fiebat, dicebatur, quicquid de illo ab aliis exponebatur, quàm diligẽtissimè scribebat in animo, memoriaq. retinebat. Ille uerò indies gratia, et aetate auctior fiebat: aetate, dum adolesceret, fieretq. natu grandior; gratia, quãdo praeclaram magis de illo opinionem quotidie homines suscipiebant; ac ipse, qui semper fuit perfectissimus, illustriora unà cũ aetatis auctu sapientiae suae, quae absolutissima ab initio fuit, argumenta proferebat.

Canisius 456.

Vti autem se ostentabat occasio, ab eo, coram matre, saepè miracula fuisse edita, coniicere pium est. Ea tamen à sacri Euangelii scriptoribus silentio praeterita sunt; qui potissimùm ea scriptis tradiderunt, quibus Christvm Dei filium, et ex Virgine natum esse, compertum fie-

ret: illucq. eorum referebatur consilium. Verùm à disputatione in templo, usq. ad illud tempus, cùm apertè se DEI filium patefecit, et Euangelium coepit docere; nunc se diuinũ mirabilibus rebus gerendis mirificè probabat, infinitaq. illa sapientia omneis in sui admirationem trahebat; nunc se hominem praebebat. Quandoquidem sitim, famem, algorem, angustias, et ea, quae mortalis, caduca, et fragilis natura secum incommoda afferre solet, perferebat. Deniq. illum ad nutum, ad uoluntatem paratum Virgo, et Iosephus habebant: parebat ipse semper eorum mandatis; demissè, modesteq. se gerebat cum omnibus. egit tùm id aetatis Nazarethi, ut omnium est opinio. Patriae enim Nazarenae studiosus semet Nazarenum ultrò appellauit. Quapropter Asiam mundi primam partem, quae perpetua fronte ad orientem solem uergit, quae lateribus in meridiem, ac septentrionem spectat, millies faustam praedicabo; quando Syria prouincia in ea continetur. At felix est ex Syria, quae Palaestinam, et Galilaeam cõplectitur; fortunata uerè est Galilaea, urbibus, et oppidis distincta; in

Asia.

Syria.

Palaestina.

Galilaea

Nazarethum. qua Nazarethum situm est, Reginae Angelorum, et IESV patria, qui certam nobis in caelo patriam definire potest. Sed jam sanctam Nazarenam ciuitatem ingrediamur; cultumq. sacratissimae caeli imperatrici adhibeamus, quae illic diuinam filii indolem suspicit, purosq., et caelesteis mores uehementer admiratur. Immò eâdem sibi diuino commercio uti uidebatur, dum gratis filii sermonibus, suauiq. oratione dulciter teneretur; dum non solùm aureis, sed etiam animum, ac mentem ad eius uocem, uerbaq. admoueret. Quàm saepè radiantis illius uultus aspectu Virgini caelum aperiri, eiusq. oculis dilucidè exponi, ac subiici uisum est? Quoties ea tunc uidit MARIA, quae ingeniorum nostrornm aeies minimè intueri potest? Intento animo quicquid agebat filius, aut loquebatur, sedula mater obseruabat. Etenim quamcunq. ad rem ille se conferebat, ab ea discedebat summa cum laude, incredibiliq. cum admiratione omnium. In se omnium eliciebat oculos; ac uelut integrae uitae speculum peropportunè offerebatur omnibus. Eum autem cum matre summa

abstinentia uixisse, perspicuum est; atque in rebus domesticis defatigari, et insudare eum consueuisse, credendum est. Quibus in rebus quin locupletissima diuinitatis suae documenta, et testimonia saepè dederit, nemo est, qui ambigat. Opinantur itidem multi, nutricio suo operā summo studio illum praestitisse; eiusq. in carpentarii artificio operantis plurìes à dulci alumno laborem subleuatum, ac saepè adiutū fuisse. Ipse enim matri Virgini, ac Iosepho sēper beneuolè, et fideliter praestò fuit; et in rebus omnibus semper mirabilē praestitit humilitatem. Quàm maximè omnium diues erat, ac potens, tam maximè demissum animū gerebat; et quādo omnium erat supremus, infimum tamen se praebebat. En igitur manus illae, quibus elementa composita, et creata sunt, quibus factum est caelum, quae stellas, lunam, nitentemq., ac perlucidū solem mirabili ordine digesserunt, quae hominem conflarūt è limo, sera, malleo, securi opus fecere? artificis laborem suscepere? Quis insignem hanc submissionem in caelum non ferat? ac mirificè laudet? Itaq. rerū omnium dominus, penes quem sunt omnium

Canisius 476.

A Christo Iosephi labor subleuatus.

nium copiae, ultrò, mirabiliterq. paupertatem amauit: studiosissimè conquisitam habuit in deliciis. Despexit prorsus diuitias, et à se longè reiecit; summa rerum omnium difficultate premi, et inopia uti cōsueuit. Quocirca nō solùm mihi memoria offertur, sed etiam hic ante oculos poni uidetur, quàm ieiunè, quàm duriter, et abstinenterq. se cum illo haberet mater.

IESV paupert. studium singulare.

Virg. abstinentia.

Quandiù autem Nazarethi aetatem degit, in maternis aedibus habitauit; et non nunquam, ubi Hierosolymae festi dies celebrabantur, illuc ultrò citroq. ibat. Quinetiam coniectura arguendum est; ibi à Zacharia, et Elizabetha hospitio receptum complureis una cum eis dies consumpsisse. Sanctum etiam ac pium est, si credamus, deinde eundem saepè adiisse Ioannem, qui se in sola loca coniecerat; atq. illi cum praecursore suo uberem fuisse de rebus diuinis orationem. At MARIA nunquam diurnam, nocturnamue praecationem intermittens, noctu, et interdiu sanctissimis uerbis DEVM laudare; incredibilem eius erga se benignitatem celebrare, et exquisitis laudibus prosequi. Atqui existimandum est, eam,

ubi

ubi aeterno Deo supplicabat, saepius hãc profudisse uocem; et huiuscemodi orationem habuisse: Qvas. ego. prae- potens. devs. rervm. domine, qui regis nutu omnia, omnis laetitiae dator, tot bonis à te copiosè ornata, et mirabiliter aucta, gratias agam? Quibus te laudibus, aeternum lumen, efferam? Tu altissime, qui omnia cingis, et complecteris, sempiterna rerum omnium potestas, mihi ancillae tuae nec opinanti, neq. talia cogitanti per Gabrielem Angelum salutem misisti sempiternam. Tu opera, quae oculis uidentur pulchertima, effecisti. Mare ita tua prouidentia constitutum, ut neq. redundet, neq. effluat, eiusq. insularũ pulchritudo, et orarum, littorumq. amoenitas te laudant. Terra florum, arborumq., et herbarũ uiridissimo uestitu ornata, prouinciis, et urbibus distincta tibi architecto suo honorem defert. Aër terram circumfundens, suaq. spiratione omneis animanteis sustentans, iucundissimis tui nominis uocibus personat. Quin caelum astris distinctum, ac aether extremam mundi oram definiens, et terminans, unde sol nitore

Mariae ad Devm precatio.

Praepotẽ tẽ Devm complecti omnia.

Mare.

Terra.

Aër.

Caelum Aether.

tore suo omnia perfundens, et innumerabiles siderum flammae existunt, te artificem praestantissimum uenerantur, et colunt. Quae uerò nec sub mortalium aspectu posita sunt, nec sensu humano capi, nec cogitationum nostrarum acie perspici possunt, perpetuitate continua, diuinitate illustria, efficiunt, ut te omnes suspiciant; ac te, quo nihil praestantius excogitari potest, qui omnia regis, sanctum, augustum, dignum ueneratione praedicent. Sed quantopere te ego admirer? qui clarissimis prophetarnm monimentis praedictum, et consignatum filium tuum humano hoc corpore inclusisti? Ac, tametsi uotiua uirginitas animo meo penitus inhaeserat, ut, pudicitia sanctissimè conseruata, parerem, alto, ac profundo tuo consilio insederat. Itaq. Emanuelem tuum, meumq. primogenitum, et unicũ, qui te suis factis immortali afficiet gloria, concepi, gestaui, peperi, ac sinu complexasum meo. Is, quo nihil maius optari, nec dari poterat, graueis in terris aerumnas persoluet. Atq. paullatim aetate procedens diuinam, perfectamq. illã sapientiam, qua tu eum eodem momento,

Diuinae res.

quo

quo ſanguine meo conceptus eſt, ornatè illuſtraſti, omnibus indies dilucidè magis aperit. Beatam me, quando à te tam liberalibus donis effusè cumulata ſum, omnes nunc appellant. Tua immortali pietate, aeterne Rex, qui aeternitatem, immortalitatemq. largiri potes, SPIRITVS ſanctus, uelut in ſibi adornatũ uas, in uiſcera mea perfluxit: è sãguine meo, nihil uiolata Virginitate, filius tuus humanum ſumpſit corpus. Licet autem interdũ opprimar, dum Simeonis uaticinium in memoriam incurſat; tamen certa ſpe ſuſtentor, fore, ut idẽ filius noſter, poſtea quàm acerbae morti ſe obiecerit, glorioſiſſimũ in caelo triumphũ agat. Te, pater ſanctiſſime, qui ſupra choros Angelorum, in caelo, auguſta maieſtate perpetuò ſedes, qui pijs mortalibus in uotis, in precibus occurris, ex animo ſanctiſſimè ueneror, religioſiſſimè colo. Quin tui cultus ſtudio acriter ardentem hunc animum mihi nec mors quidem adimet; nulla me res de hac deiiciet uoluntate, ſtudia mea in te omnia collocabo; ad te cogitationes penitus conuertentur meae. At uerò, maxime Rex, tuae ſunt partes, quid uelis, imperan-

perandi, meae tibi obtemperãdi: tu, quid faciam defini, me instituе, da praecepta: ea ego persequar, et ad te semper oculos referam. Quapropter ab orientis, et obeuntis solis, ab Austri, et Aquilonis oris, ab aurorae ortu usq. ad uesperam, noctuq. et interdiu uniuersae nationes, ac populi tibi castè cultum adhibeant, infinitè honorem, sanctitatem, pietatem tribuant, purè religionem praestent; iustis honoribus uota nuncupent, memori mẽte persoluant. Qui aduersum tuum edictum quicquam fecerit, se adstrictum sempiterno scelere sentiat. In sanctis huiusmodi, aliisq. obsecrationibus, quae nec cogitatione hominum comprehẽdi, nec sensu percipi possunt, summa frequentia, et assiduitate inuiolatam DEI sponsam perexisse haud est incerto. Sancta autem illa consuetudo, in qua a teneris assueuerat, nunquam intermissa est; si quidem nunc sacrae triadis in caelo aeternis laudibus illustrandae nullum finem facit. Nunc, ut Iosephi memoriã animo nostro comprehensam esse, perspicuum sit, ad eum re dibimus. Ille enim semper eã pietatem praestitit, qua praeditum illum esse decebat,

bat,

bat, cui Dei mater, ac Dei filius tutò committi posset. Castissimè, et frequentissimè Dei colendi eius desideriũ semper uiresce bat; et unà cum Virgine quae de puero di cebantur, suspiciebat, atq. admirabatur. Dehinc Mariam perpetua obseruãtia cõ plexus, solã ipsius pueri custodiendi cogitationem, et curam suscipere; in eo nunquam id studium intermitti. Ac saepe atrocibus, difficillimisq. in rebus ab illo praesens Virgini auxilium oblatum est; et eis ipse Nazarethi, Betlehem, Hierosolymae, atq. in peregrinatione Aegyptiaca fideliter praestò fuit; studiaq., et officia prae stitit. Ceterùm sanctus uir, Virginitate sua sanctissimè conseruata, ad Christi baptismum usq., ut opinantur nonnulli, aetatem produxit. Ante seruatoris nostri crucem, et priùs quàm idem in concionibus Euangelium doceret, diem suum illum obiisse, quorundam est opinio. Vt ut se res habet; quin Iesv crucem mors Iosephi praecesserit, non dubium est. Etenim matris custode amisso, filius asperrimis clauis cruci affixus eã Virgini Ioanni dein cõmendauit. At prior custos integrè, ac purè uitae suae spatio decurso,

D. Iosephi mors

ad exitum uocatus eſt. Is, cùm CHRISTO, ac ſponſae fidelem, et obſequentẽ ſe praebuiſſet, una bona, mala tolerauerat; re perdita, et ſalua ſemper adfuerat; paupertatem ſimul pertulerat grauem; et nunquam ſeduli cuſtodis officium intermiſerat. Iccirco illis maximum ſui deſiderium reliquit: in quo amiciſſimè conſolando, et uehementer confirmando tũc à IESV, et Virgine nihil, quod ab inſigni pietate poſſet proficiſci, omiſſum eſt. Eius enim pietatis, qua ſemper ipſi praeſtitere, locupletiſſima tunc dederunt teſtimonia. Illius anima corporis uinculis ſoluta in limbum, ubi redemptor ab antiquorum patrum piis animabus cupidiſſimè exſpectabatur, migrauit. Felix Ioſephus, cui compertum erat, ſe non multò poſt illinc emerſurum: ac fore, ut breui ex inferis eliceretur. Namq. ſpes non elabebatur, futurum, ut ab alumno ſuo, quem tam amanter nutriuerat, praeruptis, et conuulſis Erebi portis ad caelum efferretur, reponereturq. inter beatos.

D. Ioſephi aĩa in limbo IESVM exſpectauit.

Nullum gaudium, Ioſephe, illi exaequari poterat, quo perfundebaris, dum hic diuinam eius indolem mirabaris, dum ſere-

illius aspectu oculi tui tenebātur, in quem nunc immota lumina post eius in caelum ascensum defigis. Nemo beatior te dici poterat, cuius mandatis se Rex ille demisse subiiciebat, cuius imperium, et maiestatem uenerantur Angeli. Beneuolentiā, officium, fidem, paternam pietatem praestiterat Iosephus. Qui praestanti in IESVM, Virginemq. beneuolentia, et diuino studio extiterat, sibi pulchrè repensum iri beneficium, debitamq. laboribus mercedem cumulatissima mensura persolutū iri sciebat. Sanctus Virginis custos certa spe tenebatur, fore, ut à CHRISTO è limbo euocaretur, ac, ubi ille in caelum ascenderet, et ipse simul in purissima regione illa, in quam eos, qui purè aetatem egerunt, conuenire oportet, collocaretur; ut illic amplissimè triumpharet; uita frueretur sempiterna, et in beatorum numerū referretur. Nam grauibus aerumnis, quae à piis, ac iustis in terris exiguntur, et grauibus solicitudinibus, quibus hic DEI mandata exhaurientes, ab hominibus affliguntur, gaudia aeterna intercedunt. Caducae illae, et fragiles miseriae citò elabuntur: aeternum est caelum si-

Caelestis uitae nullus finis. ne fine: uita ibi perpetua est, quam nullū tempus definire, aut circumscribere potest. Sed satis, superq. de Ioseph dictum sit; nūc ad IESVM historia properat; atq. ad ipsum oratio conferenda est, qui trigesimum annum coeperat attingere; cui prope aderat tempus, cùm se apertè DEI filium indicaret. Itaq. in Iordanis fluuii, qui Palaestinam alluit, purissimis aquis uoluit à Ioanne collui. Hoc enim aditu docebat uiam ad caelum strui posse. Illic autem aeterni patris testimonio, et apertissimis signis DEI filius tunc apertè patefactus est. Quandoquidem in flumine niuea columba sacratissimo eius capiti institit; dein e caelo haec uox audita est: HIC. EST. FILIVS. MEVS DILECTVS. IN. QVO. MIHI. BENE. COMPLACVI. Id actum est eius aetatis XXX, ab urbe Roma cōdita DCCLXXXI, TI. Caesaris imperii XV. anno, prid. non. Ianuarii. Eorum autē ualde pia est opinio, qui existimant Virginem una cum aliis spectatae uitae, et probatae sanctitatis mulieribus ibi à Ioanne sacro flumine fuisse perfusam; à quo uniuersus populus itidem baptismum sumpserat.

CHRISTI Baptismus.

Luc. 3. Cedrenus 154. 143. 149.

Non

Non enim id ipsa ab eo, qui sibi sanguine erat coniunctus, respuisset. Sed ut ut se res habet; uel ab illo, uel, ut alii existimāt, a filio, aut ab Apostolis baptismum ceperit; in tam sancta re filium imitatione ab ipsa expressum fuisse, perspicuum est; ad cuius imaginem se totam cūctis in rebus semper prorsus effinxit. Etenim in CHRISTI uitam, uti in nitidissimum speculum, ubi bonorum omnium concepta figura, et expressa uirtutum omnium imago est, studiosissimè MARIA inspexit. Interim uerò quod in Iordane acciderat multorū sermone, et fama concelebrabatur, et omnibus ferè exploratum erat, uoce caelum personasse, quae IESVM DEI filium palam pronunciarat; eamq. illuc tam perspicuè fuisse delatam, ut ibi omnes audiuerint. Excitant haec Virginis animum ad effusissimam laetitiam; filiumq. ea indies magis suspicit, et admiratur. Ille matri prorsus obsequentem se praebet, nec quicquam, quod ei gratum modò accidere posse sētiat, exitu praestare differt. Id quod in Canae nuptiis firmiùs est cōprobatum. Res exposcere uidetur, ut eius miraculi historiam breuiter hic ex-

Virginis Baptismus.

Sedula filii imitatrix Virgo.

ponamus; quò CHRISTI erga matrem propensio magis, magisq. innotescat. Nam ad cohonestandas nuptias, quae in Cana Galilaeae fiebāt, seruator noster uocatur. clementissimus nullam moram infert, illuc, quò etiam conuenit Virgo, expeditissimè se confert. Defecerat in conuiuio uinum: ad illum statim MARIA confugit; dixitq.; VINVM. NON. HABENT, nec aliud addidit uerbum. Siquidem id solo nutu indicare, satis putabat; quippe quae in domesticis angustiis, et maxima rerum familiarium difficultate huiusmodi miracula saepè experta fuerat.

InCanae nuptiis editū miraculum.

Respondit tùm hisce uerbis IESVS: QVID. MIHI. ET. TIBI. EST. MVLIER? Censent quidam durius cum matre actū; quae res ab ea mansuetudine, qua propriè semper ille excelluit, fuisset aliena. Sed nunqnam hoc in cogitationem, aut sensus nostros cadat; neq. ab eo in matrem grauius, aut inclementius quicquā dictū putemus. Qui enim cum omnibus mansuetus, et comis in perpetuum fuit, cur in piam parentem sanctissimè à se obseruatam asperum, uel inclementem se praestet? Quae uerò asperitas, quae inclementia,

Verba filii ad matrem.

mentia, aut durities in illis dictis esse potest, quae statim deprecantis Virginis arbitratu, et eius ex sententia ad rem ipsam collata, optimo rei euentu comprobatur? Atqui uerba illa ab ipso tùm prolata fuisse, certum est; non ut honore, quem maxima demissione matri semper detulerat, eam fraudaret; sed ut perspicuè significaret, non tã de aliis rebus se laborare, quàm de caelestibus. Quinetiam indicabat, se opportunè ea daturum testimonia, ex quibus DEI filius maximè pateret. Verba autem, quae subsequuntur, eius consilii rationem nobis optimè explicant, dum hunc habet sermonem: NONDVM. VENIT. HORA. MEA. Nondum est tempus, cum expressis signis me DEI filium mirificè probem. Nondum uenit hora, qua à morte resurgens, altè in caelũ ascendam. Hoc, quod nunc, Virgo, exposcis, leue est, illustriorum miraculorum occasio se ostentabit. Ceterum, quamuis in hoc colloquio mulierem eam IESVS appellet; nil ex illius puritatis candore obscuratur. In sacris enim litteris id nomen Virginibus etiam inditur. Maxima sunt haec quae diximus; sed ad maiora etiam

Clementissimus erga matrem IESVS.

Canisius 459.

scriptio

ſcriptio properat; et à ſanctiſſimis DEI filii uerbis ad praeclariſſima, et immortalia eius facta digredi oportet. Edixerat MARIA conuiuii miniſtris, ut quaecunq. iuſſiſſet filius, repentè illi praeſtarent, eiuſq. reciperent mandata. Ille hydrias lapideas ſex, quae illic erant, quarum ſingulae metretas binas, uel ternas capiebant, iuſſit omneis aqua impleri. Id ubi factum eſt, in uinum ſtatim aquae conuertuntur. Ex illis igitur hauſtum uinum ab architiclino conuiuis hilariter ingeritur, quod illi ſuauiori guſtu, quàm illud, quod defecerat, biberunt. Quantùm autem ab illius aetatis frugalitate huius ſaeculi luxus diſtat? Non illi gulae irritamenta quaerebant; eiſq. cibus, ac potus aduerſus famem, ac ſitim non libidini, aut luxuriae erat. Non ſplendidè, non magnificè, non ſcitè, non lautè conuiuium, in quo uinum deeſſe nonnunquam contingebat, tunc exornabatur. Nunc in apparandis conuiuiis integri menſes conſumuntur; per omneis regiones exquiſiti cibi, terra, mariq. exquiruntur. Expendunt multi, atq. aeſtimant ciborũ uoluptates; lautitias omneis odorantur, et ueſtigant.

Ioan. 2.

Antiquorum frugalitas.

gant. Multorum patrimonia profusis epulis, et conuiuiis dissipantur. Immoderatis sumptibus dedunt se pleriq.; nec lex, nec ratio inuenitur, qua tanto luxui modus statui possit. Dum sumptuosissima conuiuia ubiq. agitantur, ornantur, apparantur, quò ciborum exquisitae conditiones? quo lautitiae processerunt?

Huius aetatis conuiuiorũ nimia lautitia.

At uerò mihi satis digressus uideor; proximum est, ut ad CHRISTVM oratio conuertatur, et in templum Hierosolymitanum introeat, ubi ei illic docenti nunciatur, se à matre, fratribus, et cognatis pro foribus exspectari. Ille circumflectens oculos, in corona considenteis Apostolos intuens, ad eos sermonem suum transtulit; dixitq.: QVAE. EST. ISTA. MATER MEA? qui sunt fratres mei? haec est mater mea; hi sunt fratres mei. Quicunq. patris mei uolũtati obtemperat; ipse meus frater, mater, et soror est. Non profectò matrem ex hoc numero separat, sed egregiè illam includit, quippe quae, praeter omneis, DEI dicto audiens, et maximè obsequens semper fuit. At caelestis, diuinusq. magister, postquam animum

Matt. 12

Qui sint CHRISTI ꝓpinqui.

pror-

prorſus ad docendum traduxerat, maternum nomen abiicit; atq. ab eo, quod priuatum, propriumq., nec cum aliis commune erat, repente ſe auellit. Namq. aeternae conſanguinitatis uinculo ſe mauult aſtringi. At ſi cum caeleſti cognatione materna propinquitas conferatur, illuſtrior multò illa dicenda eſt, quam ſibi cum diſcipulis, et diuini uerbi obſeruatoribus dicit eſſe contractam. Horum tamen utrunque cum matre ei pulchrè cohaerebat. Diffiteri nemo poteſt, quin MARIA tam caeleſti, quàm naturali uinculo quàm maximè cum filio coniuncta ſit; quae illos multùm, longéq. exſuperat, qui DEI parent mandatis. Quòd ſi diuina mandata recipientes IESVM affinitate propriè attingunt, eiuſq. fratres, ſorores, et matres ſunt; quantò arctiori uinculo ei Maria adſtricta eſt, cui utrũq. praeclarè ineſt? Ius ſanguinis non deeſt, quae IESVM ſanguine ſuo concepit: caeleſtis propinquitas minimè abeſt, cùm ea DEI praeceptorum ſedula obſeruatrix ſemper fuerit. Quòd uerò IESV DOMINI fratres diximus; nõ uerè eius germani, cùm MARIA ſemper inuiolata Virgo permanſerit, ſed

IESV ueri affines.

Vera cũ matre IESV ꝓpinquitas.

ſed cognationis propinquitate coniuncti propriè appellantur. Quae loquendi consuetudo tunc uigebat. Pergebat interim liberator hominum in uerbo DEI dilucidè explicando; nec maximo labore, quem continenter ſuſtinebat, ad languorem ullum dari, defatigariq. poterat, neq. docendi aſſiduitate inuictus ille animus remolleſcebat, aut unquam remittebatur. Namq. in id, quod aggreſſus fuerat, maiori alacritate quotidie inſiſtebat; ſuppeditabat indies uberrimam omnium uitae exemplorum copiam; illuſtria perfectae ſanctitatis exempla ad imitandum proponebat. Dehinc tanta caeleſtiſſimo ex illo ore fluebat eloquentia, tanta illius uultus maieſtate fulgebat, ſplendebat tãta in oculis diuinitas, ut mulier in hanc uocem eruperit: BEATVS. VENTER. QVI. TE. PORTAVIT. ET. VBERA. QVAE. SVXISTI. Marcellae, religionis, ſingulariſq. fidei mulieris uerba haec multi opinantur. Haec, ſeruatorem noſtrũ Scribis, Phariſaeiſq. tẽtantibus, tanta alacritate, et fiducia contra eos certamen ſuſcepit; ut ea aetate CHRISTI hoſtium temeritatem, ac perfidiam, eorumq. itidem, qui diris

Gen. 27. Gen. 14.

IESVS in docendo laborem nunquam intermittebat.

Canisius 482. Marcellae uerba.

diris haereſeos uenenis imbuti poſteà irre-
D.Aug.in Euang. Ioann tract. 1
pſerũt, ſupercilium egregiè retuderit. Caeleſtis eius ſacramenti, quod in CHRISTI uera carne, et ſanguine praeſignatur, locupletiſſimum, et grauiſſimum illa dat teſtimonium, illud piè, et ſanctè fidelis mulier fatetur. Licet diuinae pietatis myſterium, ac ſolenne ſacrificium impii haeretici nefariè oppugnent; tamen clariſſimae luci, cuius è caelo ſplendor longè, lateq. fulget, nunquam offundent tenebras; inclusum ſenſibus odium in eccleſiam ſacroſanctam profundunt: omnium ſcelerum, flagitiorumq. conſcientia merſi, in pertinaciae ſitu, et caecitate iacent, obdurantq., poſtquam ſibi à DEO corda pungi non ſinunt. Pertinaciae obſcuritate inuoluti, nolunt de IESV Nazareno, qui ad nos clara, certaq. adtulit, cogitationem ſuſcipere. Sed ut lubet eorum mentes atra caligine preſſae tegantur, turpiſſimè in illa pertinaci opinione labãtur; ſe, quibus perpetuã ſeruitutem iniunxit Satan, nefario ſcelere obſtringant; nunquam tamen nuda, ac pura ueritas, cuius acies per pulchrè curata eſt, obſcurabitur; nunquã ullo caecabitur tempore. Tametſi furentes

Haereticorũ caecitas, et pertinacia.

rentes infesta Christianae reip. signa inferunt; tamen incitati eorum impetus retardabuntur. Veritas uocem contra inuidiam, ac pertinaciā mittet. Quid enim mendaciis, ac eorum maledictis loci esse potest; quando hic ueritas, et laus omnia occupauit? Iam impressae, et insignitae ueritatis notae, litterisq. incisae sempiternis, totius orbis terrarum oculis expositae sunt; nec ii clarissimae lucis oculos effodiēt. Non foedis eorum dictis, aut factis, opinionibusue Christiana religio poterit uiolari; sed sanctissimè semper conseruabitur, suāq. in perpetuū auctoritatem obtinebit. Immò, ueluti sol super foedas, ac tetras etiam res splendorem suum diffundens, nunquam inquinatur; ita lucidum catholicae fidei lumen, istorum foeditate nunquam de puritate, nunquam de nitore suo quicquam remittet. At miseri, dum in impurissimis haereseos sordibus, et caeno uolutantur, animas eheu commaculant, et se inquinant labe sceleris sempiterni. Velut autem in paludibus coniecti, profundissimae temeritatis, et pertinaciae limo se haustos non sentiunt. Quin ultrò, scientesq. eò se demittunt, unde

CHRISTIANA religio uti sol.

Haereticorū sordes, coenū, labes.

unde nullus est exitus; nec sanctae ecclesiae, cuius fulgore colluceri, et illustrari oportet omne saeculum, splendorem unquam foedissimi homines maculis adsper gent. Quòd si non resipuerint, ac se receperint, illuc malefici detrudentur; ubi sempiterno multabuntur dolore; in sceleratórum sedem, ac regionem praecipites agentur. Impii enim digni sunt, qui nō modò ex omni saeculorum memoria, sed etiam ex hominum coetu euellantur. Quandoquidē à CHRISTO, qui nos in dies beneficiis sibi adiungit, elapsi, Satanae, à quo mala quotidie ing eruntur, studia sua transferunt. Nostrum erit, humillimè DEO supplicare, ut improborū odia, quae in se ipsos, et animarum suarum perniciem magis, quàm in ecclesiam sceleratè incendunt, restincta tandem uidere possimus. Vtinam aliquando uniuersarum orarum, ac mundi partium populi huius sanctae mulieris uestigiis gradiantur; ac eius pietatem imitatione exprimentes reuocentur ad ecclesiae Romanae sacrosan cta instituta. Nam optima femina aliquid maius in CHRISTO, quàm in mortali homine, summa fide agnoscit, et diuinum

quid-

quiddã suspici in eo, propter quod eius mater, et nutrix beata, ac felix praedicetur. Age iam ab illis impiis ad piam mulierem ueniamus; cui diuino amore efferuenti respondit hisce uerbis hominum liberator: QVINIMMO. BEATI. QVI. audiunt uerbum DEI, et custodiunt illud. Non, quod de matre à muliere dictum fuerat, diffitetur, sed permittit, et concedit: eaq. particula, quae in sacris litteris concedentis, non aduersantis est, utitur. Verùm beatos illos etiam appellat, qui DEI uerba audiunt, eiusq. imperata faciunt. Non hìc à uera beatitate parentem suam excipit; at eam manifestè comprehendit, quae praeter omneis diuina mandata secuta est, eaq. recepit, et sanctissimè custodiuit: ideò prae ceteris etiã beatissima. In eo autem cantico, quod in Zachariae aedibus SPIRITVS sancti instinctu, ac diuina mente illustrata, tanquam oraculum magnificè edidit, haec filij sententia praeclare iam celebrata, et prius ab ipsa illis uerbis expressa fuerat: ET. MISERICORDIA eius à progenie, in progenies timentibus eum. NVNC. AD. FINEM. PERDVCTA. EST.

QVINIMMÒ. particula cundem sensum habet quẽ PROFECTO.
Regũ 2. cap. 20.
Canisius 486.
Canisius 493.

illa historiae pars, in qua interdum hilarem, quandoq. moestam MARIAM uidimus, laetitiaq. moeror, moerori nonnunquam laetitia succedebat. Quapropter quicquid solicitudinis intercedebat, hilaritate mitigabatur, et condiebatur, atq. aduersis rebus gaudia interdum adspergebantur. Nunc ea pars se offert, quae tota luctuosa, et funesta est; in qua nullũ Virgini uacuum dolore tempus unquam fuit, quae tota luctu, et miseriis referta est. Dum te, ò DEI mater, sic dolore fractam, sic obrutã lacrymis, tot undiq. telis appetitam, et transfixam in memoriam reduco; qui lacrymas tenere potero? Quì me ita comparabo, et instituã, ut ne lacrymae ubertim cadentes quod scribã deleant, et oblitterent? Equidem plureis animos habere uellem, quos omneis ad purae Virginis grauem aerumnã simul dolendam intenderem. Haec enim ipsa sunt uulnera, quae tractari sine gemitu non possunt. Quis tam ferreus nedum esse, sed ne fingi quidem potest, cuius animus, dum naufragam illã, tamq. saeui aequoris undis iactatam meditatur, misericordiam intrinsecus non exci-

Virg. uitae quae pars tota luctuosa.

DEI matris dolores nõ si-

excipiat? extrinsecus autem dolorem suum non significet? Ea circumflabatur asperrimis omnium calamitatum uentis, innumerabiles turbines eius circumstabant nauem; atq. infestarum aegritudinum fluctibus immaculata mater alluebatur. luctu reprimor, ne scribam; lacrymae subitò se profundunt; uox, dum haec recenseo, includitur; interpellat me fletus, tametsi, quoad possum, repugno, dolore planè consternor. Quocunq. oculos, ò Virgo, conuertis, luctuosa, moestaq. uides omnia. In tantum dolorem detrusa es, in quantum nulla post homines natos mulier. Quid animi tibi fuit, ubi de habito in cena proditoris indicio uerba facta sunt, et tristis ea fama coepit manare? Studiosiùs tunc ad ea, quae in filio accidebant, animũ adiecisti; ea à fidis mulieribus comitata clam obseruabas; mentem ad eos conferebas, qui sermones inter se de proditore conferebant. Eheu quae dolorum faces ei admotae sunt, cùm filium, ubi discubuisset, uultu, et aspectu grauem solicitudinem, qua animus acerbissimè afflictabatur, apertè indicantem uidit? Introspexit eius men-

ne gemitu recenseri.

Iudas proditor

tem saeuis curarũ aestibus fluctuantem. Dein, ubi ab illo exsudatum fuisse sanguinem, et ab eo paternam omnem iram, sceleribus nostris conscitam proprio capite exceptum iri resciuit; quàm graui tunc ictu Virgineus animus percussus? quàm acerbum eius cordi uulnus inflictum est? Reuocauit in memoriam Simeonis uaticinium; sensit tunc illũ adesse diem, cùm sibi acutum telum in pectus contorqueretur. Haec quanquam intolerabilia essent, contra omnia parauerat se, et praeclarè muniuerat. Namq; aeterni regis nutu, ac uoluntate euenire, illa non ignorabat. Eheu quàm acutus gladius MARIAM pupugit? quàm saeuus in eius corde mucro fixus est? simul atq; amarissimum crucis calicem filio oblatũ fuisse sciuit? Eheu, dum in illum defixit oculos, qui dolores eius animo infixi haererent, aperte uidit. In matrem inspiciens IESVS, quaenam illam proscindant, quaenam conuellant curae, minimè celatur. Immò in eo conduplicabatur dolor; et duplicem suscipiebat gemitum. Filii aegritudinis particeps fiebat mater; materni luctus socius erat filius: simillimaq;

Virginis inuictus animus.

Matris aegritudine IESV dolorem auctum.

maq. utrisq.; et eadem solicitudo interce-
debat. Atqui ad instantem iam mor-
tem de matre moestitia ad CHRISTVM
accedebat. Iudas autem, omnium mor-
talium perditissimus, ex omniū scelerum
colluuione natus, in quem se abdiderat
Satan, caecatus auaritia, cupiditate pro-
lapsus, corruptus pecunia, inaudito sce- DEI filius osculo indicatus.
lere concepto, DEI filium, cuius diuina in
se, et recentissima erant beneficia, prodit,
osculoq. indicat; exulceratum auaritia
animū crudelitatis remedio sanare, illum
innocentis sanguine elui posse existima-
uit. Potuit ne ulli homini innocentissi-
mus ille sanguis quaestui, ac praedae es-
se? Nouum monstrum nefaria crude-
litate, et inaudita auaritia conflatum, et
concretum. Quanam scelerum labe
auaritiae ardore aestuantes nō inquinan-
tur? Immane, efferum, et crudele mon-
strum, diuina cum humanis permiscens,
quocunq. irrumpis, omnia das uastitati,
ac direptioni; nil est, quod tuum furorem
reprimere queat. Tu fidem, castitatem Auaritiae detestabile monstrū,
pudicitiam, pietatem, famam eripis; uir-
tutibus omnibus mortales, in quos irre-
pis, spolias. Circumretitus, implicatus

Satanae laqueis, ex eis quando exsuere, ac se explicare noluit, in eas postea incidit plagas, in quibus ab eodem confectus, et concisus est; expletus, ac saturatus purissimo sanguine, cum hoc quaestus cumulo in laqueum collum inseruit. execrabile non modo peccatum, sed etiã exemplum: non solùm ipse inusitatae crudelitatis scelus concepit; sed etiam in alia saecula infudit. nunquam enim ii defuere, qui pecunia corrupti innocentem sanguinem hauriant. Eius autem indicio captus hominum redemptor, et ad sacerdotum principem perductus, nudari, deligariq. iubetur. Nudatus eheu, et ad columnam deligatus, flagellis acerrimè caeditur. Circumsistunt ualentissimi, et ad pulsandum, uerberandumq. exercitatissimi. Percussores ipsi, quorum animos insatiabilis crudelitas imbuerat, defessi erant, simul et flagella ipsa. Defatigatione magis, quàm ulla, inter tantum dolorem, plagarumq. crepitum, misericordia uerberare destiterant. Illuditur, conspuitur, ingeruntur in sacrum uultum pugni, et alaphae. Dein spinea corona, cruenta, ac pungente laurea

Collum Iudae in laqueum insitum.

CHRISTVS ad columnã deligatus.

IESVS cõsputus, et irrisus

rea caeli Rex ornatus, ac redimitus est; sanguine os, et oculi completi. Huiusce-modi ne laurea inuictissimi huius triumphatoris caput cinxit? Quae purissimo illo sanguine uuida; et madefacta fuit, uirescet perpetuò; ac nunquam uiriditatem suam amittet. At uerò insignis uictor, qui nobis immortalem uitã dedit, et hostibus nostris mortem adtulit sempiternam, hisce ornatur insignibus? ei, qui omnium triumphatorum decus est, et ornamentum, qui omneis omnium gentium oras in ditionem suam redactas sua complectitur potestate, is triumphus perscriptus est? Acerbum auditu; ex omni saeculorũ memoria homines euellendi, quorum teterrima crudelitate superata fuit omniũ ferarum immanitas. Quae uerò mors, sanctissime IESV, matri tuae, ubi de futura tua morte ei nunciatum fuit, allata est? Ea, ducente Magdalena, iterq. aperiente, illuc, ubi cruci suffigendus erat filius, recta contendit. Illius desiderio emoriens propiùs accedere nititur, sed ab aduersariis reiicitur; ac longè auellitur summa iniuria. Quapropter, tametsi Magdalena, sum-

Spinea corona cinctum caput.

Magdalenae pietas.

Crucis pondus.

Ferreis clauis cōfixus IESVS.

mae auctoritatis, et primaria mulier, cuius lacrymis iam CHRISTI pedes perfusi fuerant, uiam struere, atq. aditum patefacere conabatur; aegrè tamen, ut se apud filium ea reciperet, impetrabat. Interim hominum seruator magnam, et ponderosam crucē, onus uillico adiutante, in procliuem, et ardui ascensus collē, summo labore perfert. Crucis pondere grauatus lasso collo caput demittebat, ex magno labore anhelitum ducebat; sudor defluebat à toto corpore. In MARIAE autem pectus ferreorum clauorum cuspides adigi uidebantur tunc, cùm eorum ictibus manus illae summa uí transfigebantur, quibus praeclarè fundatum caelum, sideribusq. distinctum, et inspersum est; quibus solis, ac lunae cursus tam pulchrè digesti, constitutiq. sunt; quae puri aetheris igneis seorsum à terra, mariq. profundo secreuerunt; ac seiunxerunt. Extensum in cruce filium mater, et neruorum compages, quibus iunguntur membra, laxatas uidit. Ille manibus, pedibusq. uehementer sauciis oculos in Virginem coniecit. Virginis anima tot uulneribus traiecta fuit, quot

filio saeui, et immanes carnifices inflixerant. CHRISTI quidem membra, ut omniũ aspectui, et oculis subiiciebatur, crudelissimè erant discerpta: uerùm intus acerbioribus sauciabatur plagis; postquam in ligno pendens tantis aerumnis cumulatam, tam atroci fractam dolore matrem uidit. In eum ita Virginis incursabat solicitudo; in eundem ut fletũ uocaretur, ac gemino exagitaretur moerore. Itaq. haec nos mortales diu nobiscũ commentemur; harum rerum memoriã, quae nulla unquam deleatur obliuione, in pectus nostrũ profundè demittamus. Nam, si MARIA, quae immunis semper fuit ab omni culpa, tam dolenter, tam moestè filii interitum deplorat; quid nos, quorum ob peccata in crucem actus, morti obiectus, et in tantas aerumnas proiectus est, lacrymas tenemus? Quis adeò durus, uel inhumano est ingenio? quis tãta immanitate, aut crudelitate praeditus, cui, ubi ista in memoriam redigit, uberrimus fletus non excitetur? totusq. lacrymis non exstillet. Verùm, ut ante crucem stantem matrem recrearet, abiectam ut excitaret, abstraheretq. paullùm à tan-

CHRISTI mortem esse commentãdã.

à tanto dolore, haec cura primùm eum tetigit. Itaq. Ioannem, qui illic itidem erat, nutu consignauit, ac notauit oculis. Deinceps de eo, cuius fidem, et constantiam in rerum angustiis, et difficultatibus optimè nouerat, ita locutus est: MVLIER. ECCE. filius tuus. Mulierem illam appellat, ne materni nominis memoria excitata intestinus exacerbaretur dolor; cuius ille asperitatem mitigare tum maximè studebat. ò miram pietatem. In mortis limine constitutus filius, mox exspiraturus languenteis oculos defixo, et propensissimo contuitu in matrem conii cit; nec ab ea illos deiicere potest. Diuellere illam ab aegritudine, conceptũ in ea moerorẽ sedare nititur. Quis haec animo euoluens, ubertim lacrymas non fundat? et totus non conuertatur in luctum? Ne sola, ne deserta Virgo relinqueretur, quàm diligentissimè Ioanni eam commendauit. Virgini Ioanni uirginitatis templum summa religione praeditum, puritatis arcem, pudoris sacrarium rectissimè commisit. Nam, postquam mortiferis uulneribus traiectus, artubus disclusis, sacrato sanguine largissimè fluente,

D. Ioanni DEI mater cõmẽdata.

Ioannes Virgo.

ente, morti ſuae breuem morã obiici ſciebat; matri, cui procul à ſe in terris multos etiam annos uita producebatur, conſultũ oportuit. Ad finem igitur uitae uocatus uitae dator, mortiſq. extinctor, flentem matrem intuens, interruptis, ac morientibus uocibus allocutus eſt; moribundos oculos ad illam conuertit; et, cùm iam ceteris in partibus oppreſſus eſſet, extremum ſenſum ad matris memoriam reſeruabat. Hanc cum diſcipulo ingreditur orationem: ECCE. MATER. TVA. Etenim, quia in terris aliquandiu ſine me futura eſt; ne ſola, ne derelicta maneat; tu eam in matris loco cole, et obſerua; ipſa te pro filio unicè diliget. Tute morigerum, et obſequentem ei praebeas; nec ab ea concedas, nec unquam reiiciaris ab eius cuſtodia: ſic enim ſibi alterum filium ſuffectum ſentiet, qui quod aetatis reliquum erit, accuratè tuetur, et auxilium ferat. Neq. uerò alius magis ex ſententia offerri poteſt, cum ob praeſtantem tuam erga me fidem, tum ob puriſſimum uirginitatis nitorem, qui cum inuiolata matre optimè congruit. Ambo integri, mihi cariſſimi, conſiliorum

Mirabilis CHRISTI erga matrem pietas.

meo-

meorum conscii pulchrè inter nos cohaeretis. CHRISTI uerba filii amorem in matris animo, matris obseruantiam in discipuli corde insculpserunt: ac in eorũ mentibus illa dicta scripta sunt. Immò tumprimùm illã materna propensione obseruare discipulus coepit; eum filii pietate Virgo complexa est; ac eundem, et quia se cognatione attingebat, et quia regia uirtute illa, quae Angelico fulgore collucet, illustrabatur, quãmaximè dilexit: uirginitas enim, animi, corporisq. integritas ita nobis DEVM, caelesteisq. omneis conciliat, ut eis, in quibus ea nitet, quiq. illam castè, ac sanctè tuentur, saepè communicentur diuina secreta. Quae res in Ioanne optimo euentu comprobata est: Quandoquidem in parasceues cena super CHRISTI pectus recumbens in illum scientiae inexhaustum fontem penetrans, non aliter caelestia arcana assecutus est, ac si caelum ei apertũ, oculisq. expositum fuisset. Itaq. ea, quae ex illo fonte affluentissimè hauserat, dein è uirgineo, et puro pectore profudit. MARIAE uerò non poterat leniri dolor, quamuis sibi Ioannem uelu

VIRGO Virg. Ioannis mater dicta.

ti opti-

ti optimum filium adesse intelligeret. Quin asperis clauis affixum adhuc filiũ aspiciens, ipsa sibi in cruce suffixa esse uidebatur. Nam disclusi paenè erant sacrati artus, nerui extensi; atq. una super ossibus erat pellis. Quocirca animo deficiens, lingua debilitata, et motu graui dixit, SITIO. Arduo in caluarium ascensu, grauiq. crucis pondere grauatus, et sanguine disperso ita arueras; arida ut siti, quae nec eximi, nec sedari poterat, captus esset. Siquidem illi corporis siti animarum nostrarum, ac uitae ardentissima sitis erat permista. Ea se ualde correptũ fuisse uoluit palam significare seruator noster. Quinetiam ex alto misericordiae monte clarissimus aquae decursus sitientem illum excitauit; ac insedabilis animarum conseruandarum sitis in eo extitit; quae nec fluuiis longè, lateq. fluentibus, nec perennibus fontibus eximi unquã poterat. Interim miles inhumanus spongiam, cui supernè fel infuderat, posuit super arundinem, eiusq. ori, ut felle mistum uinum biberet, circumposuit. Id peramarum Virginis matris, ac filii palato tunc accidit: itidem, ut filius

MARIAE dolor ob filii cruciatus.

CHRISTI Sitis in cruce pẽdentis.

lius,obriguit,atq. obſtupuit mater. Illa amarities perpetua animas noſtras dulcedine,ac ſuauitate reſperſit. IESVS autem primoribus labris ámaro potu tantùm deguſtato, noluit bibere; deinceps dixit: CONSVMATVM. EST. Poſt à transfixis pedibus minutatim frigus coepit ſuccedere. Compreſſis naribus, cauatis oculis mors imminens non dubiè praenunciabatur.Exanimabatur MARIA, atq. uti pungentibus, uenenoq. infectis telis eius trāſuerberabatur pectus. Quā acerbus tibi dolor inuſtus eſt? quaenam tibi curarum faces illatae ſunt? quae te diſtraxit, quae proſcidit aegritudo? ubi extremum ſpiritum actutum filius tuus effuſurus erat? Propenſiſſimo contuitu mentem,oculoſq. in eum defigebas, qui è puro tuo ſanguine ſanguinem ſumpſit ſuum. Membratim uitalis eius ſanguis diſpergebatur; os totum ſanguine opletum,crines cruore conſperſi erant. In pedibus digiti primùm liueſcere; inde ipſi pedes mori, et crura; deinde per artus tractim mors ſuccedere. Cui haec in memoriam incurrentia lacrymas non excutiant? fletum non excitent? miſeri-

Vinū fel-le miſtū.

Acerbū Virginis ſpectaculum.

cor-

cordiam non commoueant? uitae nostrae uitam crudelissimè exhaustam? Eum, qui mortem depulit, tam cruenta morte multatum uidere potuistis? Quis tecum, pia DEI mater, uberem lacrymarum riuum non profundat? Quis filii, matrisq. casum meditans maxima curarum ui non conuellatur? Addictum seruituti genus hominum proprii sanguinis precio redemit: gratissima patri hostia, filius in ara crucis immolatus est. Tametsi, uelut emissa ex arcu summa ui sagitta, animus ad CHRISTVM plorandum incredibili fertur celeritate; tamen, quò certum acerbae eius mortis annum dinumeremus, cursus uestigia inflectenda, et pauca ex illius urbis historia, quae orbis terrarum summo imperio sedem, ac domicilium praebuit, petenda sunt. Nā Octauius Augustus, qui consule Cicerone ab urbe condita anno DCXC natus est, DCCX imperare coepit; eiusq. imperiū ad DCCLXVI anni finē unà cum uita terminatum est. Huius autē imperii anno XXIIX, qui post urbem conditam DCCXXXIIX fuit, pulchra aurora, lucidissimi solis orituri nuncia, MARIA, Octauii imperiū.

DEI

MARIAE ortus. DEI mater inuiolata nata est. Deinceps eiusdem imperii anno XLII, ex ipsa perpetua Virgine iustitiae sol IESVS ortus est. CHRISTI ortus. Ac inter nitentis aurorae, caelestisq solis ortum quatuordecim anni, menses tres, dies XIIX intercesserunt. Etenim, quae è templo discessit XIII. anno iam coepto, ubi diuinum edidit partum, XV. iam ingressa erat. Vide suprà 34. Ceterùm Augusti imperium, et uita ad CHRISTI anni XIIII. finem usq. perducta est. Octauii mors. Post, dum astu à Liuia omnia prouidentur, et miro artificio celata Augusti morte, ad Ti. Caesarē imperium quietè deuoluitur, aliquā insequentis anni partem occupatam fuisse coniicio. Itaq. IESVS annum decimumquintum attigerat, ubi Ti. rerum potiri coepit. Ti. Caesaris imperium. Quo imperante, eidem seruatori nostro ante baptismum alii XV anni accesserunt; ac eius imperii XV anno, cùm trigesimum iam tùm attigisset, in Iordane sacratis aquis perfusus est. Huius sacri baptismi temporis in Euangelio uerissimum, grauissimumq. testimoniū datur. Luc. 3. CHRISTI baptism. Quinetiam, si cum praefinito, et circumscripto hoc in Euangelio tempore, IESV, Virginisq. purissimae annorū

seriem

seriem, atq. ortum conferamus; ac urbis conditae, imperantiumq. Caesarum aetates dinumeremus, ac dimetiamur, procul dubio ueritas distinctè elucescet. Namq. ex eiusdemmet euangelii historia est in aperto, eum etiam anno Ti. x i x cruci affixum fuisse; quippe qui annos treis, menseis treis post baptismum, et post trigesimum hic, ante quàm mortem obiret, uixerit. Nunc ad institutum regredi oportet. Etenim die veneris, siue is i i x, siue x kal. Aprilis illuxerit; x i x Ti. anno, suppliciũ innocens Dei filius pertulit. Vbi autem sanctũ lumen occidit, tenebrae statim secutae sunt; sol obscuratus, noxq. interdiu uisa; omnia nigrore, et tenebris suffusa sunt, obscuritate omnia obtecta. Quin succesere umbrae, solis radii interrupti, offusa ubiq. nox, et lux praerepta est. Nam cur aetherei huius solis uehementer non perturbaretur lumen, cùm aeternus, clarusq. caeli Sol restinctus est? Se autem sol abdidit, quia tantam crudelitatem uidere non poterat. Rursus terraemotu saxa dirupta sunt; saxaq., ac desertissimas solitudines, scopulos, et mu

Christi crucis annus.

Cedren. 155.156

Christi mortem quae subsecuta sint.

Cedren. 155.157

ta, atq. inanima tam atrox crudelitas commouit. Spectaculum eheu non hominibus modò, sed etiam saxis luctuosum. Ab hora uerò sexta usq. ad horam nonam, quando languidus sol nec suos igneis mittere, nec lucem recreare poterat, tenebris omnia fuerunt obruta. Tandem, postquam mortuum IESVM uiderunt Iudaei, sacratum eius pectus à milite lancea apertum est; ac inde statim sanguis cum aqua mistus altè emicuit. Ex lato uulnere illustris triumphator sanguinis, et aquae riuum ubertim effudit. Tunc, ò Virgo, tuo corpore illud uulnus excepisti, tuum aperiri latus, tuus effluere sanguis, uenae tibi proscindi uisae sunt. Quis enim è Virgineo tuo sanguine CHRISTI corpus, et sanguinem fuisse assumptum? quis tuum sanguinem illum diffiteri ausit? Quis ignorat sanguinem illum, quem obtulit, solùm à matre desumptũ? Innocentissimum uerò sanguinem impii sitiebant; sanguinem immaculatum inquinatissimi homines profuderunt; insatiabilem crudelitatem exercuerunt non solùm in uiuo, sed etiam in mortuo.

Vide supra pag. 43.

Ac

Ac iniustum odium non modo ad mortem usq. incitatum; sed etiam post mortem inflammatum est. Ceterùm te, ò Regina Angelorum, tot aerumnis conclusam, tot angustiis undiq. circumuallatam fregisset, ac interemisset dolor: non potuisses, filio interempto, longiùs uitam producere; ni spes proposita fuisset, fore, ut citò nimbus ille transiret; ac breui ex animo miseriam illam expueres; omniaq. ex luctu, et lacrymis ad laetitiam reciderent. Nam puri luminis princeps, diuinus tuus sol, cuius candore irrigatur caelum, nouo lumine statim nouum lumen illaturus erat. Quinetiam quicquid fulgoris, moriente uitae nostrae auctore, perierat, ubi ille resurrexisset, prorsus mortis caligine discussa, sensim excitatum iri, planè tibi erat compertum. Nos autem inter nos insignem Virginis fortitudinẽ spectemus, quam ea praestitit, dum asperae crucis fuit spectatrix; quae, dum filii mortem moeret, profundissimumq. dolorem exhaurit, illa uidens non extincta, non exanimata fuerit. Quaenam uniuerso in hominum genere mater tam horribili

Filii mortis spectatrix.

spectaculo, tam cruentae tragediae interesse, dolorique resistere potuisset? Nulla est mater, quam ex aegritudine statim mors non fuisset consecuta. Quapropter ingenuè fatebimur, lucido eam fidei splendore inluminatam, firmissimo fidei robore egregiè munitam, et armatam fuisse. Immò non poterat non inuicti, et infracti animi firmitudinem cōstanter retinere. Namq. ad Prophetarum oracula, quae nunquam excidebāt, sed animo, ac memoriae erant affixa, cogitationem saepè referebat, ac mentem. Itaq. si, quò acerbiores percepit luctus; quò acriores dolorum stimuli fuere, eò maiori gloria caeli Rex eam comulatam uoluit; quaenam ei gloria exaequari potest? Quantis autem, quàm intolerabilibus curis primùm ea fatigata fuerit, nemo ne cogitando quidem animo complecti, nedum consequi uerbis, aut sententia posset. Verberatus eheu, condemnatus CHRISTVS capite suo paenas soluit; ac in eum scelerum nostrorum poenae ceciderunt, Filii tui, ò mater inuiolata, pro omnibus mortem perferre; moerere, et animo pro omnibus

In MARIA ab initio fidei mira constantia.

angi

angi tuae fuerunt partes. Grauiter primùm te filii circumcisio torsit; telum in pectus tuum intorsit Simeon, dum triste uaticinium profudit. Grauissimè afflicta es innocentùm caede. Perturbauit te, acerbissimum inusit dolorem repentina in Aegyptum fuga. Extabuit aegritudine animus tuus; simul atq. Ioannem, Elizabethae filium in uincula coniectum sciuisti. Duplicem suscipiebas gemitum, uidens contra IESVM Hebraeos adeò immaniter saeuire, tam duriter, ac immisericorditer agere; tam effroenato in filium tuum furore eos raptos; tam indignis illum ab eis acceptum modis. Pupugit animum tuũ, altiusq. in pectus, uti ueneno malo imbutum telum descendit nuncius, quo significatum est, profunda Iudae auaritia DEI filiũ nefariè proditum, eiusq. sanguinem potuisse numerato precio uenum ire. Praetereà, dum faedissimi homines, uerissimis maledictorum notis memoriae hominum sempiternae tradendi, maledicta in illum congerunt, utriq. malae infringunt colaphos, sacrum uultum cõtundunt pugnis, sputo foedant, conuel-

Virginis dolorum enumeratio.

lunt barbam, an non tibi radicitùs cor eripi, et conuelli uisum est? Confluxerunt tandem in animum tuum omnes aerumnae; in unum illum diem moestitiae omnes conclusae sunt, cùm pendebat filius, et mortis ferè attingebat limen: ille dies tibi mortis fuit instar. Ac, licèt discipuli dispersi fugam arripuissent, supremum hoc pietatis officium in aduersariorum conspectu à te praestitum, et nunquam intermissum est. Neq. uerò sacrata Virgo, cuius animo nunquam quicquam aegrius fuerat, spem abiiciebat; nec prosternebatur, sciens nihil fortuitum filio accidisse, qui se ultrò morti obiectarat: cuius morte uitae spes mortalibus offerebatur. Vitam enim propria morte IESVS in sedes reuocabat suas. Penitus omnis mortis metus eius morte nobis adimebatur; ac propè aderat ille dies, cùm acerbum dolorem, quo absumpta ferè exarserat, Virgo abiiceret; totq. curis solueretur. Spes haec certa DEI matrem prosequebatur; neq. dubitabat fore, ut ex luctu, et lacrymis ad solidam laetitiam tandem omnia reciderent. Quinetiam ea lancea illam

uidens,

uidens, ſanguine oblitam, et madefa-ctam, quam miles, CHRISTI latere traiecto, cruentarat; aduersùs omnia praeſtrenuè obdurans, inuictum animum geſſit. Modeſtè ferebat omnia: aduerſa omnia, ut quaeq. erant, decreuerat pati. Ei autem infracta mens fuerat à DEO immiſſa; et ex Propheticis litteris ſcibat, ab innocenti filio poenas pro nocentibus pendi, et ſupplicium ferri oportere. Nunquam igitur contraxit, aut demiſit animũ; nunquam ſe obrui paſſa eſt. Ac ſtrenuè certantem filium aſpexit. Quandoquidem Satán, qui ſibi tantam prius arrogantiam ſumpſerat, ut minimè ferendus uideretur, crucis ligno, et ſacris pedibus obtritus, et conculcatus eſt; ac eã pugna inferior diſceſſit. Exhilarabat quidem hoc Virginem; ſed gaudium aegritudine contaminabatur, ea luctus acerbitas miſcebatur, id adſpergebatur moleſtiae, quòd morte filii res ſolueretur; quem deſtitutum, conſperſum ſanguine, animam deniq. exſpirantem uidebat. liberaliſſimus redemptor uitam, et ſanguinem, ut, quod nos debebamus, diſſolueret, pignori oppoſuit, Virgo for-

Iuxta cru cem filiũ reſurre-cturũ cre dit.

stis, inuicta Virgo, bellatrix intrepida, quam strenuè, et inuictè te gessisti? Te non ingruentium inimicorum minae, nō periculum ullum, non mortis formido, non doloris acerbitas, quin semper filio tuo fideliter praesto esses, cohibere potuerunt. Non contraxisti, non demisisti unquam animum. Neq. te aegritudo praepediuit, nec fregit dolor: mansisti in officio semper; erexisti, ac perpetuò restitisti. Quid uerò luctuoso spectaculo matrem subducere? quid ab eius oculis filium, qui illius cor, et animus uerè erat, poterat abducere? Verùm hoc in speculo, mortales, nosmet contemplemur; nos hic saepè comparemus. Verae enim caritatis, pietatisq, ubertima exempla nobis à uirgine proponuntur; quae nunquam deseruit CHRISTVM, nec ab eius conspectu quòquam concessit. Tametsi autem intus uigebat, et copiosiùs alebatur doloris asperitas; nunquam ullam indecentem uocem emisit: nullam edidit cum querimonia, aut expressit; nec tot aduersis rebus eius mentis aliqua pars potuit adimi. Immò uerecunda, uirginale decorum prorsus ob-

Infractus MARIAE animus.

tinens,

tinens, sensus humanos animi robore coercuit. Nihil indicauit, quod summa cum modestia, et grauitate nõ esset coniunctum. Nitentibus oculis, modestè lacrymis suffusis, nunquam de uirginali uerecundia demigrauit, aut deiecta est. Namq. DEI matris animo conceptae curae, quorumcunq. martyrum, qui fuerint, et futuri sint, cruciatum longè anteiuerunt: eaq. semper intrepidè obstitit. Quapropter, sicuti filius, dum omnium miseriarum spectaculum in cruce praebet, omnibus planè martyribus praefertur; ita mater, dum eo tempore in filium inspicit, et se diro spectaculo obiectat, digna est, quae martyrii laurea amplissimè ornata, protomartyrii illustrata titulis, celebrem triumphum gloriosissimè agat. Quò maiores aerumnas sustentauit, ad solidiorem gloriam, cuius erit cursus sempiternus, contendit. An ulla usquam gentium mulier fuit, aut erit aeque afflicta? Sed uos huius saeculi matronae, et mulieres huiusmodi ne spectacula uobis proponitis? Liceat mihi iam, quem iustus dolor uincit, paullùm digredi; ac ea, quae, ubi in memo-

Canisius 507.

E virgina li decore nunquam de iecta.

DEI matris martyrium.

riam recidunt, me examinant in paucissima uerba conferre. Defixam, constitutamq. in Caluario crucem ad filii exitium MARIA spectauit; uiditq. eius sanguine conspersum montem. An DEI, et omnium mortalium matris acerbum luctum in memoriam reuocatis? insidet ne ille in animis uestris? adducimini ne in eundem fletum? Idipsum si attentè à uobis interdum fieret; in mentibus uestris is conciperetur ignis, qui in diuini cultus studio, et sanctarum legum timore in perpetuum uiuesceret. Quinetiam flammae illae, quas in uobis, sensus uestros effroenatè inuadens Satan, uehementiùs excitat, restinguerentur. Versutia enim, et astu suo, dum improuidae, et incautae pensi nihil habetis, saepè impudici amoris taedas in animis uestris iis ignibus, qui ex Auerno erumpunt, sensim accendit. Scelesti instinctu in miserarum mentibus eae conflantur flammae, quibus animarum, corporumq. incendia magna excitantur. Ac, ueluti magno uento aridis rebus ignis illatus, eo sic differtur, uno ut tempore flammam omnia concipiant; ita cupiditatum

tatum Auſtris ardores ueſtri circumflati, totas uos planè exurunt. Neq. uerò caecae uidetis, quas uobis circumplicatae ſerpentibus furiae admoueant faces. Animo aegrae, ſaeuo amore ſauciae quotidie turpiſſimorum amorum foedera feritis. Eheu ne foeda illa ſpectacula, ne ludi, quos debacchans Satan ſolet uobis proponere, oculos ueſtros teneant; nec patiamini, ut ille ceruicibus ueſtris ſempiternum imperium imponat. Voſmet in libertatem, ne ad perferendum iugum natae eſſe uideamini, uindicate. Longè arceantur, exterminenturq. ea ſpectacula, quibus dum adeſtis, quae dum oculis adſpicitis, mentes ueſtrae caecantur. Sacratae Virginis exemplum in uobis uerae religionis ſtudium commoueat. Incendant uos ſanctiſſimae eius uirtutes, quae totius orbis terrarum theatro expoſitae ſunt: memoriam ad piam hanc cogitationem excitate. Id primùm, Mediolanenſes mulieres, cùm ciuis ueſter ſim, uobis auctor ſum. Ne, obſecro, in apertam perniciem incurratis. Exſoluitè uos longè, lateq. diffuſo errore. Veſtrae illae effroenatae cupiditates reſtinguan-

ſtinguantur, ác comprimantur. Vos aliò amor, qui penitus ſit caſtus, deferat. Per ſanctiſſimam Angelorum Reginam, uehementer hortor. Impetret hoc à uobis pius Antiſtes noſter: id BORROMAEO uiro ſanctiſſimo, fido huius populi cuſtodi, diuinitus dato, è caelo delapſo concedite. Illius in hoc mandata recipite, cuius non excipere uerba, et perennibus litterarum notis corde non inſculpere, piaculum eſt. Illuc enim eius ſtudia, et curae redeunt; ut, quando execrandum illum, ac deteſtabilem choraearum morem, qui Satana impulſore inceſſerat, inualueratq., ferè extinxerit; penitus etiam profanorū ſpectaculorum uſus, et conſuetudo intercludatur. Id operam dat, patenti ut uia ad caelum omnes pergamus, piaeq. conſuetudines aperiantur. Hoc erit uobis facillimum, ſi tragicum MARIAE ſpectaculum cogitatione comprehendentes, eius memoriam minimè remiſeritis; ſed illa animis ueſtris affixa perpetuò inſederit; ac inter uos, Satanamq. tanta diſcordia exarſerit; ut res in apertum bellum euadat. Vtinam ex iis flammis aliquando euoletis,

CAROLI Borromaei ſtudium.

illudq. inccndium, quod ocio alitis, ue-ſtris lacrymis reſtinctum uideam. Humilitatis ſtudium complectamini. neq. curru inuectae, uelut triumphatrices ſtudeatis, ut concurrentibus undiq. mulieribus, ac uiris, ſumma gloria per uias, et omnia tecta conſpiciamini. Quòd ſi cruenti huius ſpectaculi, Dei Q. matris cura, et cogitatio uos retigerit, uenenatae ſagittae, quib. confixae eſtis, tanquam dictamo guſtato excident. Id ſi feceretis, illic deniq. eritis ſaluae, et incolumes, quò ii, à quibus piè aetas acta eſt, conueniunt. Vos autem non ſolùm uerba mea, ſed etiam tot matronae, quarum religione, et ſanctis moribus haec ciuitas collucet, et illuſtratur, quae exemplo ſuo ad imitationem alias excitare debet, accendant. Sed aequo dolore commotus liberiùs proceſſi; nunc redeò ad inceptum. Nam in Caluario mõte piarum mulierum comitatu ſepta Dei mater in filii exſanguem frontem, ante rorantem ſanguine crucem oculos coniicere; deinde illuc aliquem uenturum ſperare; qui pietate excitus ſacroſanctum corpus proſequeretur funere. Ecce autem Nicode-

Matronarum Mediolanenſium religio.

codemus, et Iosephus Abarimathia primarii, et uerè ingenui uiri piam rem, ac sanctam incoeptant. Ne sepulcri honore caeleste IESV corpus destitutum relinqueretur, sepultura illud honestare, animum induxerant. Maxima ergo lacrymarum ui profusa, illud primùm demittunt è cruce. Dein MARIA exsangue filii corpus in gremio tenere; illi oscula defigere; lacrymis abstergere uulnera; ob eius mortem omnibus cumulata aerumnis ita afflictari; in eam ut uerè aegritudines omnes, doloresq. confluxisse uiderentur; et procul dubio maestitiarum omnium diceretur mater. At uerò illud miseriarum omnium miserrimum, ubi ex eius complexu, et aspectu ille euulsus, et ereptus est. Tandem unà cum Magdalena, piisq. aliis mulieribus discessit; manseruntq. ibi Maria Iosephi, et Maria Magdalenae, ubinam conderetur, diligenter obseruaturae. Candidis autem linteis inuolutum, et preciosis unguentis perlitum à sanctis illis uiris in sepulcro diuinum corpus piè ponitur. Sepulcrum paullò ante sibi excidendum curauerat Iosephus; nec in eo

CHRISTI sepulcrũ.

huma-

humatus quiſquam fuerat. At uos, inſignes pietatae uiri, ab ſaeculo ad ſaeculum praedicandi eſtis; ueſtrum nomen aeternis memoriae monimentis inſitum manebit; adamantina perennitae inciſae notae eius rei grauiſſimum teſtimonium dabunt. Regi enim ueſtro, quem deſpexerant Iudaei, ſupremum honorem praeſtitiſtis; ſanctis exſequuis proſecuti eſtis, decoraſtis lacrymis, et ueſtro fletu funus ei factum eſt. Sed, ubi effuſis lacrymis, animoq. exhauſtis doloribus funeſtam CHRISTI mortem dolentiùs deplorauerimus, altiùs in nos earum aegritudinem, quae Virginem matrem afflixerunt, memoria deſcendat. Dein unà cum Ioſepho, Nicodemo, piiſq. omnibus liberatorem hominum à morte exſuſcitatum, diſiectis, conuulſiſq. inferorum portis, laeta cogitatione contemplemur. Itaq. triumphatore filio exſuſcitato, et immortalitatis curru inuecto, piae matri curae omnes ademptae, gaudiaq. omnia illata ſunt. Reſurgentem filium, ac eius rei teſtimonium etiam uerißimum datum ab eis ſciuit, qui tunc cum corpore reſurgentes, et ex ſepulcris exeun-

E ſepulcro cum corpore reſurg.

exeuntes, Hierosolymamq. maturantes, se palam multis Hierosolymitis uiuos ostenderunt: qui deinceps unà cum ipso IESV in caelum cum corpore ascendisse credendi sunt. Reuocatá uerò à morte uita, in qua uita omnium reposita est, matrem primùm salutauit, eam summa expleuit laetitia. Etenim ei, quae salutem nostram peperit, post turbidam tempestatem mira tranquillitas orta est; post caecas tenebras clara illuxit dies; candidus sol, et clarus nitor ei, caligine discussa, effulsit. Quae acerbissimis exarsit doloribus, omnibus gaudiis cumulata, mater omnium facta est. Ac pulcherrimum illud templũ sapientia, et SPIRITV sancto munitum, ornatumq. resurgens CHRISTVS primùm adit; ad domicilium suum, ad sedem, ad arcam diuino opere, et artificio perfectam, gemmis, auroq. illustriorem statim concedit. Tertia die illucescente, quae dies Dominica fuit, à sabbatho proxima, XIX Ti. anno IESVS resurrexit; ille dies, si eos sequimur, qui in X. Kal. mortis diem conferunt, profectò in IIX Kal. Aprilis incidit. Immò non dubitandum est, quin

Matth. 27. Canisius 569. Cedren. 157. Matth. Euang. 27.

Cedren. 154. 126 CHRISTI resurrectio.

ſe matris priùs,quàm in aliorum conſpectum dederit; tametſi à ſacri EVANGELII ſcriptoribus id minimè ſcriptis traditum ſit. Ea res ab Euangeliſtis,quippe quae in incerto cuiquam eſſe non poteſt, ſilentio praeterita eſt. Quò enim aliquid notius eſt, eò minùs eget ſtylo. Itaq. omnium ſententia, et opinione complectendum eſt, ab ea, quae turbulentiori tempeſtate afflictata fuerat, reſurgentem ſolem primùm uiſum fuiſſe. Te autem, ò MARIA, cuius radiis uerae ſalutis lux inardeſcit,ac uitae ſplendor refulget; per eam pietatem, quae erga te in filio tam inſignis fuit, demiſſo uultu, ac ſupplici uoce obteſtor; ut, ſicuti in illum à morte exſuſcitatum oculos intuliſti, et tùm acerbo luctu ſoluta es, ita ſanctis tuis precibus uictus idem reſipiſcentem mihi animum immittat. Sui uerè luctus, ſuaeq. moeſtitiae praemia capiens Virgo, pro tot laboribus iucundos uictoriae fructus filium percipientem uidit. Morte, et interitu uictoris adeò illuſtris uictoria extiterat. Eo in triumpho arma triumphatoris, eius ſanguine cruentata geſtabantur. Etenim non modò

Reſurgēs filius matrem primùm aduiſit.

ad salutem nostram sanguinem suum im pertiuit, sed etiam liberalissimè dux inuictissimus profudit. Illa uictoria, qua caeli, et orbis terrarum imperium firmatum est, nihil magnificentius, mirabilius, clariusue fuit: concelebratur ubiq. eius diei uictoria, quae omnium gentium salutis exitu terminata est. Vitae autem nostræ auctor, qui tertia deinceps die resurrexit, crudelissimis cruciatuum exemplis in saeuissima cruce suffixus, mortem obiens de morte triũphauit, ineunte anno post Romã conditam DCCLXXXVI
Cedren. ineũte; cùm Solis circulus XXIII, Lunae
544. X esset. Quamuis aliqui eius anni Coss. fuisse putent C. Rubellium Geminum, et C. Fusium Geminum; ego tamen Ser. Sulpitium Galbam, Cornelium Sullam existimarim. Hi enim Ti. XIX, illi anno XV, et IESV baptismi tempore consulatũ gessisse reperiuntur. Ceterùm erant cũ IESV sanctae illae animae, quas ipse ex Erebo extruserat, elicueratq. ex Inferis. Siquidem à tenebris euocatae, terrae infimae, quam crassissimus, ac tenebricosus aër circumfundebat, faucibus patefactis, ex illis abditis sedibus in lucem euaserant.

Animae ex limbo excitatae

rant. Atq. à CHRISTI reditu ab Inferis usq. ad eiusdẽ in caelum ascensum in paradiso terrestri constiterant, eumq. una omnes comitaturae erant, à quo reuocatae, et excitatae fuerant ab Inferis. Quantis illae Virginem laudibus, quae omnium bonorum principium fuit, per quam è tenebris in luminis oras amplissimè elati fuerant, extulerint, nec dici, nec fingi potest. Quinetiam illae solida gloria auctae sacram DEI matrem; ubi se illuc in conspectum ea dedit, ob pulchritudinem admirari, ob religionem colere. Interim hominum generis seruator matri priùs, et Apostolis pace data, ac relicta, ad orientem solem sacro uultu, manibusq. uictoria plenis sublatis ad caelum propria uirtute efferri coepit. Prouoluta Virgo unà cum iis, qui aderãt, ascendentem submissè, et sanctè uenerata est. Libenter eo tempore, ut animae suae dimidium rectà sequi licuisset, morte uitam hanc abrupisset, cessissetq. è uita. Siquidem nihil ei optatius poterat cadere, quàm ut filium posset consequi. Sed mirabiliter, et aequo animo eius discessum tulit; et, quando illi placebat, ut

Ascendẽtem CHRISTVM comitatae sunt piae animae.

Lucae ul. Cedren. 152.

in terris aliquandiu etiam moraretur, ad eius nutũ uoluntatem ſuã prorſus conferebat. Namq. hic mater, ut ſecreta ſibi uulgata pateſaceret, atq. communicaret

Caniſius 539.

Apoſtolis, poſt IESVM relinquebatur. Pertinebat ad MARIAM, uelut ad optimam architectam, Eccleſiam, cuius à filio poſita erant fundamenta, altiùs erigere, et extruere.

Poſt filiũ Eccleſiae architecta MARIA.

Eam ſanctæ parens ſtrenuè aedificauit, ornauit nobiliſſimo ſtructurae genere, ac ſubtiliſſimè perpoliuit; ſanctiſq. uirtutibus ſuis, ueluti tabulis egregiè pictis eius interiores parteis Virgo, cui ad uariandum diuinarum dotium colores expoſiti erant, ueſtiuit: qua pictura nihil erat nobilius. Eo ſtudio flagrauit primùm; ut in Eccleſia ſacroſancta electiſſimos educaret flores; atq. uberrimos efferret fructus. Atqui non ſine alto conſilio idipſum praeuiderat DEVS. Quandoquidem rara, et exquiſita illa ſanctae fidei arbor uixdum actis radicibus paullatim coeperat ſuccreſcere; cùm CHRISTO, à quo inſita fuerat, ac fonte illo, qui humorem, unde nutriretur, perfundebat, repente ſe deſtitutam ſenſit. Quapropter, ne à tur-

bida Iudaeorum tempestate, neue à saeuientibus eorum inuidiae, et odii uentis exagitata adhuc tenella arbor conuellere tur; superstes MARIA relicta est. Ea doctrinae suae imbre illā educabat; iucūda uirtutum suarū aura mulcebat; firmabat nitido puritatis sole. Non integra Virgine post filii discessum statim terrarum orbem priuatum oportuit. Eius enim praesentia maximum in Apostolis filii desiderium, quod uix ab eis ferri poterat, leuari, ac mitigari oportebat; ac inusti eis doloris acerbitas ab ipsa afflictorum consolatrice erat temperanda. Illa uerò in maeroribus solatium, in tenebris lumen, in certamine firmissimū Christianis propugnaculum, et ad omneis impetus quasi murus obiectus est. Immò sacrato ex illo sacrario SPIRITVS sanctus multa secreta depromebat; illincq. ignem suū, ac fidei scintillas agens, longè, lateq. in hominum menteis diuinum ardorē fundebat. Ab hac enim Virgine primis illis Ecclesiae cultoribus uerae religionis, ac diuini cultus pura lux praelata, et omnis caligo discussa est. Eadem Virginibus omnibus, quae tum erant, quaeq. fu

Cur post filii mortē superstes virgo relicta.

Sacrarium SPIRITVS sancti virgo.

turae erant, exemplum uitae proposuit, quod sibi ad omnem aetatem uirtutibus maximè ornandam, et rectè instruendam omnes expeterent; nitidissimum speculum, in quod mortales inspicerent, aperuit. A matre in terris relicta ad filium in caelum iam ascendentem reuertemur.

IESV in caelum ascensus.

Vbi se paullò à terra ille altiùs extulit, candida nube ita obtectus est, ut quamuis in eum Apostoli aciem longiùs intenderint, defixerintq., in caelum penetrantem minimè comprehenderint. At de matre, credere pium est, sicuti difficillimo tempore seorsum ab Apostolis, qui in fugam primùm unà omnes coniecti erant, sola semper in officio mansit, nec unquam filiũ deseruit, ita ab eadem summos caelos ingredientem uisum fuisse. Quae res haud Apostolis contigit. Atqui, sicut ad MARIAM constantiae, ac fidei uerum lumen recidit, in aliis obscuratum est; ita eius oculis omnino apertum, ac patens caelum subiectum fuisse, si coniectura assequamur, ualde pium est. Cur enim Virginem illam, in quam aeternum DEI uerbum se coniecit, caelestia secreta celarentur? Cur non altissimis

Filiũ caelum ingredienté à MARIA uisum fuisse.

simis

simis filii consiliis intima esset? Quapropter summa laetitia perfusa non amissum, sed praemissum filium sentiens, ex Olioueto Hierosolymam redit. Illic tota in DEVM conuersa decem integros dies, SPIRITVS sancti aduentum, nullum à precatione uacuum tempus relinquens, acriter, et summo desiderio exspectat. Praefinita autem die, quae erat Pentecostes, Virginem cum discipulis, aliisq. compluribus, qui illic erant, repleuit SPIRITVS sanctus. At quia ibi propriam sedem, sibiq. praeter ceteras gratissimam compererat; eam ita illustrauit; ut nunquam alio in domicilio tantum lucis effuderit suae. Nulla illustris, aut perlucida stella caelo sereno tam collucet, quàm SANCTI SPIRITVS fulgore ea explenduit. Ergo MARIA insigniter magis, quàm ceteri inluminata, perpulchro eo die dono affecta est. Nam diuinum SPIRITVM, qui in se, uelut in adornatum, et purissimum uas perfluxerat, pleno haustu exhausit. Immò Prophetissis omnibus, quaecunq. fuerint, longè antecelluit; quandoquidem diuino afflatu caelestissimum illud os illustratum

Apost. act.

eſt; qui in MARIAE pectus, tanquam in religioſum, ſanctum, auguſtumq. tem plum prophetias omneis concluſerat. Is, quando pura, integra, ac ſancta domicilia incolit, ubinam ſedem maiori religione praeditam, purioriq. collucentem lumine, et quae congrueret magis, quaereret? Itaq. ſacratam in hanc cellulam DEI ſecreta omnia congeſta ſunt; recondita matri ſuae arcana caeli Rex exprompſit; nitidum illud uas ſibi adornauit. Ipſa uerò, tanquam ex SPIRITVS SANCTI adyto reſponſa dabat. Ac praedixit primùm, Iudaeis funeſtiſſimam cladem illatum iri, quia innocentem filium crudeliſſimis exemplis interemiſſent; eorumq. teterrima in illum crudelitas fuiſſet omnium ferarum immanitate ſuperata. Namq. praeſentis eorum ſceleris poenas in diem reſeruabat DEVS; et, quamuis eius filio manus attuliſſent, à quo etiam oculos cohibere religio cogebat, iracundiam tamen tunc repreſſit, graueq. ſupplicium diſtulit. Atqui ſerae tandem, ſed iuſtae, ac debitae poenae ſolutae ſunt. Caedem autem, quae dignè eis interceſſura erat, pia, et miſeri

D. Aug. lib. 1. de Trinit.

Virgo egregia Propheciſſa.

Iudaeorũ funeſta clades.

cors uates deflebat; eiusq. ob id miſericordia ualde cõmota eſt. Interim Apoſtolos benignè inſtruens, et cum illis, potiſſimumq. cum Ioanne Virgine, Salomes conſobrinae filio ſermones de fidei myſteriis conferens, ſpectatiſſimum uitae exemplum, quo non illuſtrius ullum eſſe poteſt, prae ſe ferebat; omnibus puritatis documentum erat: ex eius ore caeleſtis mentis inſtinctu diuina praecepta liberè fluebant, ac fundebantur. Dum autem Hieroſolymae concilium habitum eſt, eloquenter, ornatè, et diuinitùs ſuam in celebri illo illuſtrium uirorum conuentu ſententiam dixit. Dehinc Hieroſolymae ad ſanctam Sion cum fido cuſtode, tota in contemplationis ſtudiũ conuerſa caeleſtem in terris uitã agere; ſanctiſſima ad imitandum exempla mirabiliter proponere; in ſui religionem, et obſeruantiã uehementiùs omneis incitare. Sancta Sion DEI matri, poſt filii aſcenſum, domicilium praebuit. Illinc Hieroſolymae loca, ubi crucifixus, et ſepultus IESVS fuerat, unde aſcenderat in caelũ, frequentiſſimè aduiſebat. Ac ſe filii à cõſpectu, cuius expreſſam imaginẽ intentis animi

Cõcilio Hieroſolym. Virgo adfuit. Rupert. lib. 1. in Cantic.

Sancta Sion MARIAE ſedes.

Caniſius 536.

tueba-

tuebatur oculis, abductam sentiens; in maximo fletu uersabatur, totamq. se in eius morte commentanda ponebat. Verùm luctus ille suauitate consperſus erat; dulces erant lacrymae. licet enim à filio abesse, graue erat, et acerbum; tamen, quod ille in caelo gloriosissimè triumpharet, Virgini maxima efferebatur laetitia, ac solidum gaudium contingebat. In tota uerò aetate, ac praecipuè post filii in caelum ascensum MARIA paupertatem maximo studio exquisiuit. Quapropter illi alendae Ioannes nihil in sumptum unquam distribuit. sumptum nullum suggessit. Nam ipse, cui nullae prorsus erant diuitiae, nullam ad eam rem pecuniam dare, aut attribuere poterat; et ipsa cum Apostolis grauem inopiam ultrò, et constanter ferebat; ac tenuem tolerabat uictum. DEI igitur matri alimenta eleemosinae dabant; quae piorum subsidiis, et misericordi liberalitate sustentabatur. Quid enim ei deesse poterat, quae sanctarum cogitationum epulis saturabatur? Neq. uerò ei ornandae suggerere oportebat sumptum, quae mediocriter uestiebatur non

Virginis abstinentia, et paupertatis studium.

uaria

uaria ueste, sed colore puritati suae praecipuè decoro. cur autē ullius ornatus ea indigeret, quae sole uestiebatur, et stelles coronabatur? Deinceps seuerissimè uitam agens, ac se abstinentissimè gerens in iis ipsis aedibus habitabat, in quibus IESVS pridie, quàm se morti pro nobis obiiceret, cenauerat; et in quas clausis foribus introierat. In eandem domum, simul atq. in caelum filius migrauit, cum discipulis, et aliis centū uigintiquinque, ut unà SPIRITV SANCTO afflarentur, ea conuenerat. Domus illius dominam Mariam matrem Ioannis, D. Barnabae Cyprii consobrini, qui Marcus etiā dictus est, aliqui censent. Ego uerò eorum opinioni multùm tribuo, qui existimant, Zebedaei bonis omnibus Caiphae uenditis, locum, qui Sion dicitur, fuisse emptum, ac Zebedaeo mortuo, illic etiàm eius uxorem Salomem, D. ANNAE sororis filiam cum Ioanne filio, Virgine perpetuo, iisdem in aedibus uitam cum DEI matre egisse. Id quod ita intelligēdum est; ut domus illa Zebedaei aere coempta, non ad filios Ioannē, et Iacobum delata sit, qui, Apostolatu electo, nulla

MARIAE uictus eleemosinae.

Cedren. 154.

MARIAE domus.

Canisius 542.

Cedren. 154.

pos-

possidebant bona; sed uerè domina fuerit eorum mater; Ioannesq. non suo, sed materno tecto receptus fuerit. Ceterum, quot annos, post filii ascensum, eádem Virgo in terris commorata fuerit; uariae sunt sententiae. Nobis autem hanc inire rationem, et hunc annorum numerum licet computare. Etenim, ubi uitae nostrae solem in luminis oras edidit, decimum quintū annum ingressa erat. Dein triginta treis integros cum filio, et trigesimi quarti partem egit. Itaq. tùm, cùm ille cruci suffixus est, annorum quadraginta octo plus minùs fuisse, rectè subducta ratione, manifestò compertum est. Post filii mortem alii ad unum tantummodo annum, et menseis sex eius uitam perductam censent; ita ut quinquagesimum annum tantum attigerit. Quidam eius aetatis terminum annis quinquaginta nouem circunscribunt. Quin Vincentius septuaginta duobus, Cedrenus sexaginta duobus, octuaginta duobus annis Anselmus eius uitam praefinit. At omnium ferè opinio est, annis sexaginta tribus illius aetatem constitisse. huic communi sententiae

DEI matris aetas.

Canisius 531.532.

detra-

detractum esse nolumus; tametsi censent quidam, ad prouectam aetatem eam peruenisse; annumq. LXX uel omnino expleuisse, uel attigisse. Quamuis autem integerrima Virgo nulla originalis peccati macula concreta fuerit; atq. munda, et pura semper tota ab initio extiterit, quae à sui conceptus principio nullam planè contraxit labem, tamen non euasit mortem. Neq. uerò cuiquam mirum uideatur, si de eius morte, et in caelum assumptione nihil Euangelistae scripserint. Nam eorum historia à CHRISTI conceptu instituta, usq. ad eiusdem in caelum ascensum perducta, et illic terminata est. Quae igitur de Virgine tunc, cùm extremum spiritum effudit, et in caelum assumpta est, acciderunt, quia filio multos annos superuixit, non potuerunt illa historia comprehendi. Deinde haec ab Apostolis silentio praeterita sunt, quia id unum operam dabãt, christiana ut praecepta in hominũ mentibus munirentur, altiusq. imprimerentur, et fidei catholicae institutis initiarentur omnes; et ubiq. IESV nomen spargeretur. Eo studio flagrabant, ut in

Epiphan. et Glycas ex sententia Creté. orat. de dormit. Virg.

De morte Virg. cur ab Euang., et Apostolis nihil scriptum.

CHRI-

CHRISTI militiam omnium oratum populi, ac gentes nomen continenter darent. Ibi assiduè occupatum animum ad alia adiungere non poterant. MARIAM uerò, uti Adae, et Euae filiam mori oportuit; qua ex morte summa ad DEVM gloria emanauit; quia interiens mater filium, qui mortuus fuerat, imitatione expressit. ea re Manichaeorum falsa opinio repressa, et extincta est; qui Virginem Angelo maiorem, ideoq. non mortalem audacter asserebant. Tandem eius in memoriam cùm reincidunt in mortis turbine uersantes, maximũ eis solatium afferri solet. Si quis enim animo circumspexerit, et altiùs in pectus suum demiserit, inuiolatam DEI matrem moriendi legi adstrictam fuisse, cur non se animo obfirmet? et omnis cura ex eius corde excedat? Placidissimo autem, et maximè tranquillo mortis genere extremum spiritum effudit; quia in filii cruce mortalibus doloribus exarserat: quo tempore ueri martyrii palmam retulit, ac inter omneis martyres gloria, et honore maximè florere coepit. Dulci quiete ad exitum uitae, ueluti suaui, ac breui somno consopita,

Canisius 546.

Canisius 543.

Manich. error. D. Th. 3. sent. dist. 4. quæst. 2

Damasc. et Creté. de dorm. Virg.

uoca-

uocata est; cuius in uultu pulcherrima esse mors uidebatur. Ac, tametsi morti fuit obnoxia, naturae tamen terminos praeteruecta est, quā nec mortalitas, nec sepulcrum retinere, aut morari potuit. Quandoquidem MARIAE incorrupta caro, puritatis odore suauissimo respersa, sepulcri corruptionis planè fuit expers, et ab ea immunis. Praestitutum autem sui obitus tempus inuiolata DEI parens xv. diebus ante praesciuit; eiusq. indiciū uel à filio, uel ab Angelo eì oblatum est. Quin, nemine dubio, aut haesitante, cum amicis, ac intimis id ab ea cōmunicatum fuisse, fatendum est. Atqui eius exspectatione maxima ferebatur; ac, ut laetus ille dies, cùm hinc posset excedere, illuceret, ualde optabat. Itaq. ad eius mortalis uitae, cuius breuis est cursus, tanquam ad peregrinationis incommodorum plenae metam reuocata est: siquidem immortalitate, cuius cursus est sempiternus, excepta est. Mortali dolore in filii obitu prorsus exhausto, omnis doloris moriens fuit expers, et nullus interitus timor eam perculit. Neq. infestum, dirumue cacodaemonem uidit, cuius horribilem,

Canisius 546. 565.

Cedren. 155. Canisius 548.

execrabilem, inuiſumq. proſpectum nemo extremo in illo diſceſſu effugere poteſt. Praetereà corpus ab omni corruptione liberum ſeruauit; inuictamq., et infractam in morte ſuperanda, et contemnenda ſe geſſit. Exceſſura uero è corpore illius anima, mirabili filii uirtute, ita fortitudine inſtructa, et praefulta eſt; nihil ut ei mors; niſi aerumnarum finis, ueraq. immortalitas eſſe uideretur. Sciebat enim aſperum illud aegritudinũ cilicium, quo in terris noctu, et interdiu conueſtita, et amicta fuerat, exutum iri; futurumq., ut illuc, ubi ſempiternam felicitatẽ beatis DEVS definiuit, ſubuolaret. Quamobrem Hieroſolymae, ad ſanctam Sion, ubi, poſt filii aſcenſum, uitam puriſſimè egerat, ipſo obuiam procedente, ac praeſente, caeleſtem caelo animam reddidit; matriſq. extremum ſpiritum filius ore excepit. Tunc ille, cui diuiniſſimi ubiq. honores debẽtur, ac deferuntur, cuius gloria uix caelo capi poteſt, cuius laudes nullis finibus terminari poſſunt, inſignibus, et eximiis honoribus matrẽ complexus eſt. Interfuerunt eius diſceſſui Apoſtoli, eorumq. diſcipuli, et alii com-

plures nascentis Ecclesiae praestantes uiri. Illas exsequias à se, et Timotheo honestatas Dionysius Areopagita grauissimus, et Apostolicus uir testatur. Ii omnes, siue absq. miraculo illuc celerrimè conuenerunt, siue diuino miraculo, ut Abacuc Babylonē, ut per turbinē Helias, per aëra uecti eodē celerrimè, quasi pennas habentes, aduolarunt: ac de Virginis laudibus oratio ab omnibus habita est. Ceterum, quàm mansuetā, quam mitem eo tempore filius, quem illic adfuisse haud est in incerto, cum Virgine orationem ingressus fuerit, secum pii deputent, quibus compertum est, quantam caelestis Rex matri suae obseruantiam semper praestiterit. Igitur eam laetè complexus est, summumq. ei honorem detulit, secum sanctam illam animam ad superas caeli sedes perduxit; illicq. ad immortalitatem, et memoriam sempiternam diuinum MARIAE nomen consecrauit. Sed ingens Apostolorum, piorumq. omnium fletus sacratae huius Reginae interitum consecutus est; ac eosdem maximus inuasit moeror, cuius nulla pars poterat deponi: acerbissimoq. luctu omnia

Cretēsis de dormit. virg.

Creten. de dorm. Virg.
Damasc. de assum pt. orat. 2. ch. 390
Creten. ibidem.

redundabant. Quandoquidē illa Virgine, quae columen Ecclesiae fuerat, cui decus Christianae reip. innitebatur, quae propugnaculum, murusq. eius pacis, et tranquillitatis fuerat, se orbatos sensere. Id quod illis acerbius eò acciderat, quò angustiores erant Ecclesiae termini, quae nondum latè fineis protulerat, aut produxerat suos. Quando catholicae fidei nuper substructa fundamenta, et aedificium uix erectum erat; grauiùs dolebant christiani illam columnam, qua tanta fabrica nitebatur, conuulsam esse. Etenim si sacrati illi parietes diutiùs fulti, ac praemuniti fuissent; scibant fore, ut nullum unquam aedificio uitium adderetur. sibi Apostoli DEI matrem in terris diutiùs exoptabant; filii ut reconditos sensus per eam tenere possent. Hanc sibi cupiebant, dum recens Ecclesiae aedificium posset coalescere. IOANNI autem, qui ante crucē unà cum ipsa adstiterat, acerbiorem, quàm aliis MARIAE discessum fuisse, credendum est. Siquidem Virginem matris suae Salomes cognatam Virgo Euangelista, et Apostolus matris loco sanctè obseruabat. Interim

eius

eius funus celebri pompa curatum, propensissimis studiis, et lacrymis non minùs, quàm laudibus celebratum est; sacratumq. illud corpus, quod statim splendore suo maiorem caelo lucem illaturum erat, discipulis feretro dispertitim succedentibus, in Gethsamenem; qui locus in ualle Iosaphat situs est, quàm amplissimè elatum est. Haec est illa uallis Iosaphat, in sacro EUANGELIO celebrata ad torrentem Cedron, inter monteis Sion, et Oliuetum, quò tam frequenter IESVS conuenit, ubi patrem deprecatus est, ubi osculo proditus, captusq., et nostrae salutis posita sunt fundamenta; ubi deniq. omneis est iudicaturus. Venerant in funus multi cùm sanguine, tùm studio et religione Virgini quàm maximè coniuncti. Eos, cùm priùs morti adfuissent, ne se lacrymis, aut fletu prosequerentur, magnopere hortata fuerat. Vnà omnes exsequias, Angelorum Reginam supremo die efferentes, honestabant. Praeferebantur plures cerei, ponè multi accensa lumina gestantes sequebantur. Sed, dum Apostoli iusta MARIAE corpori sanctè persoluunt, et su-

Vallis Iosaphat.

premi eius diei ſolennis celebritas in terris agitur; animo altiùs ſpectemus, quàm illuſtris ei in caelo triũphus perſcriptus; quàm diuini honores decreti ſint, cui ſuis penè manibus filius immortale, et ad omnem aeternitatis memoriã amplum monumentum extruxit. Summo illã gaudio exceptam, laudibus, et canticis proſecuti ſunt, piiſq. uerbis eius puritatem, quam omnis poſteritas admirabitur, orarunt. Itaq. inuictiſſimus caeleſtis militiae exercitus, chori omnes Angelorum hũc trhonum gloriae, immortalitati conſecratum ſanctè uenerantes, ad praeſtitutum trhonũ perduxere. Maximè autem huius Reginae trhonus excellens eſt, et omnibus Angelicis ſedibus multùm praeſtat. Quinetiam triumphis omnibus ornatè illuſtrata, praedita bonorum omnium ornamentis, cunctis gloriae monumentis, laudumq. inſigniis aucta ſuprà uniuerſos Angelorum choros meritò cõſedit. Virginem illam, per quam labentem, et propè cadentem mundum DEVS fulcire uoluit, per quã replentur caeleſtes ſedes, immortalitas, et caelum excepit, ubi gloria, et honore florebit ſempiterno.

Creten. de dorm. Virg.

piterno. Atqui pura Virginis anima, lucidior, quàm solis radii esse soleant, simul atq. caelestem locum, et sedem consecuta est, beatos uniuersos laetitiis omnibus, quibus iam cumulati erant, longè perfudit. Verùm mortaleis, etsi augusto sereni illius uultus contuitu carere coeperant, summè exhilaratos, et gaudio expletos fuisse, existimandum est. Quandoquidem in caelo praesidium sibi praeclarè tandem paratum sentiebant. Ac, sicuti illa tripudiantem, et mortalium funeribus exsultantem Satanā laqueis constrinxerat, ac deinceps illi id uulnus impegerat, quo teterrimā mortem perfidus obiret; ita apud aeternum iudicem hominum generis aduocata consesserat, eius animum lenitura, iramq. restinctura. Hominū aduocata DEI mater.

Sed iam ad Apostolos in Gethsamenem, unde digressa est, oratio reuertatur. Postquam enim incredibili animorum pietate funus procuratum, et sacratissimo corpori sepulcrum piè, sanctèq. in Gethsamene datum est; Apostoli, qui nec à sepulcro auelli, nec amissae Virginis desiderium ferre poterant, totum triduum illic commorati sunt. Quando-

Haec historia praeclarè recitatur à Damasc. orat. de Virg. assumpt. 354.

quidem tam suauibus cantibus eorum aures absq. intermissione ulla replebantur; aërq. Angelicis, dulcibusq., ac diuinissimis uocibus, et concentibus personabat; ut illic sancti uiri iucundissimè retinerentur, nec inde possent reiici. Dum attentissimus eorum animorum, oculorumq. contuitus illuc defixus est; Apostolus, qui abfuerat, caelestis regis, cuius secreta nobis uestigare, et cogitatione consequi non licet, instinctu illuc conuolauit. Is, quia maturè non uenerat, ante quàm Virgo die suo supremo efferretur, sacrati corporis aduisendi maximo, ac feruenti in desiderio erat. Morem illi gestum oportuit; ac sepulcrum apertum est. At solùm uestes, quibus uelatum, et conuestitum fuerat diuinum corpus, illic repertae fuerunt. Namq. ad caelum illud iam fuerat assumptum, ut, quando anima mirabili luce aeternas sedes ornarat, illic itidem caelestis nitor puri corporis splendore augeretur.

Creten. de dorm. Virg.

Quae laetitia tunc triumphanti illi exercitui oblata, et obiecta est? quàm honorifìcenter ad caelesteis triumphos MARIA, omnium triumphorum decus, et

orna-

ornamentum, uocata est? quàm prae clara trophea defixa? quàm insignes in trophaeorum basi incisae, inscriptaeq. litterae, Virginitatis, puritatisq. sempiternae testes? Haec nullus mortalis oratione consequi, nec animo percipere potest. Ergo MARIAE anima cum eiusdem corpore ad caelum adscita est. Id quod à filio precibus saepè ipsam contendisse, ut gemina felicitate animae, et corporis cumularetur, existimandum est. Siquidem pium hoc uotum, sanctumq. desiderium tantam Prophetissam decuit. Eius uerò nomen in terris, immortalitate, aeternisq. honoribus honestatum est. Illius fama perpetuis annalium monumentis mandata, ac posteritati propagata in perpetuum celebrabitur: eius uirtutes, quarum non adumbrata, sed expressa, solidaq., et inusta ueritatis notis signa reliquit, omnium iudiciis, omni significatione florebunt. Gloriae munus, quod sit ad aeternitatis memoriam, gratissimi omnium sermonis, et praedicationis honore persoluetur. ò Virginis tam longè, ac latè diffusa laus, ut eius gloriae domicilium nullis terrarum oris

MARIA assumpt.

Canisius 563.

terminetur, nullis terminis definiri possit; quàm semper alet, semper intuebitur aeternitas; quae publicis omnium populorum monumentis ad omne saeculum commendabitur. Magno interuallo eius radii exsuperant solis fulgorem; stellarum, et Lunae nitorem illius splendor lōgè anteit; ac ei à filio in caelo aeternus honor sacratus est. Etenim Virginitatem, quae in terris pura, et candida praefulserat, ad caelum illibatam detulit; florentissimae eius uirtutis, quae nunquam deflorescere poterit, uiriditas semper uirescet. Eius autem ascensum perhorruerunt impuri daemones, in aëre uersantes. Cur enim eius non extimescant prospectum, cuius solùm nomen audientes difflari, ac difiici solent? Itaq., ubi eadem assumpta est, maiori puritate aër praeditus, superior aether sanctitate statim affectus est. Conspicua, et praenitens Dei mater, in qua omnis est ornatus, et pulchritudo, flammescente caelo, splendidissimè antè filii conspectū eluxit. Quinetiam, ubi primùm Virginea luce sacri Angelorum chori repercussi sunt, ex se clariorem splendorem non secus iacta-

Virginis lux, et splēdor.

re

re coeperunt, quàm Luna, dum solis lumen mutuò accipit. Beatorum uerò animae, quae integrae, ac florentes uitae aeternitate donatae sunt, in eā inspicientes, nihil aequè purum, splendidumue, post DEVM, et CHRISTI humanitatem, agnoscebant. Ad eam laudandā caeli, terrae omnes, Angeliq., et homines erecti nunc sunt. Non solùm memoria, testimonio, et annalium litteris, sed etiam illius uoce, cuius nutu reguntur omnia, laudata est. Neq. uerò exiguis finibus eius nomen continebitur; sed aeternum tantae puritatis testimonium omnes orae dabunt. Aeterna in laude praeclarissima eius acta uersabuntur; eius laudes summis, et amplissimis iudiciis celebrabuntur. Nunc in sinu tranquillitatis, et felicitatis gremio posita, oculos, quos diuino amore pascit, nunquam à filii con tuitu deiicit; nunquam ab illius prospectu reiicitur, cuius ad uoluntatem dicta, factaq. sua omnia semper retulit. Quapropter omnes solidum iam gaudium gaudeant, quoniam tantùm auctoritate, et gratia inter caeliteis praestat; ut apud DEVM ea possit, quae nemo praeter illam.

lam. Luce illa, qua totum caelum diffudit, omnes oras, ac regiones etiam collustrat; omnia nitenti lumine conuestit. Velut aurora suauissimis, et foecundissimis roribus, quos huc ubertim demittit, terras laetificat. Diuinissimae triadi, ne illic nobis deesset deprecatrix, proxima est; consedit apud DEUM; ut esset, cuius precibus iustam in nos iram sceleribus nostris conscitam posset condonare. Ipsa genus hominum cum DEO reconciliat, reducit, restituit in gratiam. Dein, composita gratia, nos apud filium, ex quo salus, et conseruatio omnium oritur, admirabili tuetur constantia. Quotidie claris argumentis, signisq. eius erga nos clementia elucet. Homines, quamuis peccatis imbutos, dum in pericula saepè prouehuntur, et in maxima uitae discrimina inferuntur, benignè respicit; illis fert opem. Quin pericula depellit; quodq. ab eis peccatum est, corrigit. Quocirca omni pietate publicũ hoc, ob assumptam Virginem gaudium communibus studiis ab omnibus celebretur; nunquam DEI matris intermittatur honor. Eius uerò aetatem si annis LXIII, ut fe-

Dauid psal. 44.

rè omnes censent, praefiniamus, ipsam anno post Virgineum partum à se editum XLIX, obdormiuisse, ac in caelum assumptam fuisse, dicendum est. Quo anno Apostolorum princeps, cui primo delatus est Pontificatus, super quo solidissimis columnis Ecclesiae aedificiũ DOMINVS erexit, sacerdotii sedem Romae obtinebat, Claudio Caesare Imperante. Ibi sanctus uir annos sex post Antiochiae Episcopatum iam cùm in caelum Virgo adscita est, Sacerdotalium cathedram tenuerat. Sed nostra ab eius ortu ad assumptionem usq. terminata historia iam definietur, et concludetur. Quòd si ego in peccatorum colluuione conceptus, eorumq. labe concretus, et commaculatus de filio tuo, de parentibus tuis, de sanctis tuis moribus, et indole, de te, purissima, et immaculata DEI mater, scribere ausus sum: tu clementissima, quae etiam peccatis adspersos mãsuetissimo respicis contuitu, uehementiùs studium meum incitasti. in te enim caeci, et caligine inuoluti mortales ubi coniiciunt oculos, è tenebris facillimè erumpunt. Quicquid igitur hoc est libelli, tibi debetur; gratiae

tibi

tibi agendae, summisq., et amplissimis laudibus tua clementia efferêda est; quae precibus meis optimum euentum dederis; ab aliis cogitationibus retractum animum, uiribus meis in hanc scriptionem omnibus collatis, maximè attentum esse uoluisti. Ab hoc autem instituto nihil me unquam deiiciet; uitaq. mihi priùs, quàm ad scribendum de te studium, aut propensio, defutura est. Namq. dum flumina suo cursu percurrent, ac lucem suam mittet sol; dû purpureo lumine terras aurora sparget, et fruges, floresq. terrá fundet; dum caelum astris distinctum erit, dum in mari fluctus excitabuntur; semper aeternae goriae monimentis nomen tuum, Virgo, florebit. Post, ubi, sopremo iudicio exacto, et igne elementis expurgatis, ad beatos lux, ad perditos caligo secesserit, semper aeterna in laude puritas uersabitur tua. At tu, ò clemens Virgo, Virgo lumen, et ornamentum caeli, in qua spes, et opes omnes mortalium sitae sunt, auxilio nobis adcurre. Nobis, qui te in oculis, mentibusq. defiximus, subueni. Tu patrona es, tu parens omnium. Tu, ò templum

ſanctitatis, portus omnium gentium, faces iam ad terrarum orbis incendium accenſas, dum inflammarentur, exſcinderen tur, funeſtarentur omnia, extinxiſti. Tela iugulis noſtris intenta de Satanae manibus per te extorta, ac de animabus noſtris reuulſa ſunt; perniciesq. illa mor talium extincta, et ſublata eſt. Per te à ceruicibus noſtris indomiti mõſtri, quod nulla ui froenari poterat, furores repulſi ſunt; et fera effroenatiſſima iam froenũ re cepit. Scelerum omni genere conflatum, et concretum monſtrum animas mortalium in profundum gurgitem, et uoraginem, quae eius erat inſaturabilis fames, profundebat; ac uelut Oceanus abſorbebat: nunc ita fauces eius preſſae ſunt, ut bolũ emiſerit: quin ex uncis, et furaciſſimis eius manibus proiecta eſt prae da. Quocirca, ſancta Virgo, pedibus tuis aduolutus, te ſanctiſſimè colo; tibiq. immortalẽ ſemper honorẽ delaturus ſũ. Neq. uerò obſecrandi ullum finem ſtatuam, dum ex tuo illo fonte, unde miſeri cordia manat, et mirabili naſcitur perennitate, riuulum accerſere, et ducere mihi liceat. Certa ſpe ſuſtentor, fore con

fido; ut ego priùs tua erga me liberalia dona laudando, ac praedicando sim defessus, quàm tu beneficiorum, ac benignitatis uinculis me adstringendo. Neq. uerò iisdem regionibus, quibus breue spatium uitae circumscribitur, meam erga te religionem terminabo; extremo etiam spiritu effuso, tui nominis gratissima memoria animae meae inclusa, atq. impressa semper uigebit. Deniq., ubi reuiuiscet corpus, et resurgam, animaq. iterum corpus habebit; corpore, et anima totum me ad tuas laudes celebrandas cōferam. Vt autem filii tui pietate, cuius in misericordia uita nostra posita est, tandem exsuscitatus uitae laurea exorner; tu lux clarissima, quae tuo splendore omnia comples, quae omnia illuminas, peccatorum nubem, in quam infelix me indui, ut illinc emittar, disrumpe. Itaq. erranti uiam ostende; doce, quibus gradibus sit ascensus ad caelum; humo excita; ad IESVM, quem intueri, ac in perpetuum meditari ualeam, erige. Ac, ne beatorum sedibus excludar, filii tui misericordiam, quae ultrò etiam supplicibus solet occurrere, tuis precibus digneris,

gneris,

gneris euocare. Ego uerò non permittam, adiutrice diuina clementia, ut res ulla mortalis à me diuellat, aut distrahat meae seruatorem uitae, à quo salus omnium conseruata est: cuius non solùm ad uoluntatem, sed etiam ad pedes me abiicio, ac supplicis uoce prosterno.

SANCTISSIMAE. DEI. MATRI PVDICITIAE. TEMPLO. VIRGINITATIS. ANTIST. PVDORIS SACRARIO. IMMORTALITATIS FONTI. GLORIAE. TRHONO MISERICORDIAE. PERFVGIO SPEI. MORTALIVM. ARCI. LIBELLVS. HIC. QVANTVS. QVANTVS. EST. INSCRIPTVS. DICATVSQ. SIT.

Abstinentia Virg. 154. 26. 94.
Adae creatio. 10.
Ada in peccatū lapſus. 12.
Ada è paradiſo detruſus. 12.
Adoleſcentiae Virg. initia. 23.
Aegypti ſimulacra collapſa Iesv aduentu. 82.
Aegyptiaci itineris incommoda. 79.
Aegyptiacae peregrinationis exitus. 82.
Aetate, et gratia quomodo Iesvs creſcere diceretur. 90.
Aetate infanti templo Virgo oblata. 20.
Aetate etiam in tenera quanta Virginis religio. 21
Alimenta Virginis in templo degentis unde. 26.
Angeli Virginis aedem in Illyricum, deinde in Picenum transferunt. 36.
Angelus ante omneis Virgini Euag. tradit. 27.
Angelus in ſomnis Magos adit. 71.
Angelus in templo Virginem aluit. 26.
Angelus in ſomnis Ioſephum conuenit. 78. 80. 83.
Angeli natiuitatem Iesv praeclaro cantu excipiunt. 60.
Angelus humano habitu ad ſalutandam Virginem ingreſſus. 39.
Angelica ſalutatione cur eadem commota. 60.
Annum xiiii. attingens è templo Virgo receſſit.
Annus Virgineae natiuitatis. 18.
Annus Virg. partus. 56.
Annus Iesv baptiſmi. 102.
Annus crucis Iesv. 129.
Annus Virginis aſſumptionis.
Annae beatiſſimae patria Betlehema. 15.
Anna è tribu Leui. 15.
Anna ſterilis primum. 15.
Anna Virginis mater. 16.
Annae aetas. 28.
Anna diuino miraculo peperit. 28.
Annae mors. 28.
Anna ſecundas nuptias nō contraxit. 28.
Annae Phanuelis filiae de

IESV testimonium. 75.
Apis Virgo animans. 77.
Apostolos à Virgine instructos. 30.
Apostoli sancto Spiritu perfusi. 151.
Apostolorum solatium DEI matrem. 149.
Apostolos Virginis funeri interfuisse. 161.
Apostolorũ lacrymae ob eius discessum. ibid.
Apostolorũ funebres laudationes. ibid.
Ascensus CHRISTI in caelum. 150.
Archelaus Herodis filius. 83.
Asiae descriptio. 91.
Asiae pars Syria, et Palaestina. 91.
Aspectus Virginis concupiscentiae froenum. 33.
Augusti edictum. 54.
Assumptio Virginis. 155.
Augusto à Sibylla de IESV praeclarè responsũ. 60.
Augusti natiuitas. 128.
Augusti imperium. 128.
Augusti mors. 128.
Aures Virginis à SPIRITV sancto uerba accepisse. 27.
Aurium sensum sanctè à Virg. custoditum. 24.

BAPTISMVS IESV 112.
Baptismus Virginis. 112.
Beneficia Virg. in nos. 3.
Betlehemae natus IESVS. 56.
Betlehema Dauidis ciuitas. 55.
Betlehemitana B. Anna. 15.
Betlehemitanorum infantum caedes. 81.

CACODAEMONVM aegritudo ob IESV natiuitatem. 64.
Caelestis uitae nullus finis. 102.
Caelum à DEI matre ornari. 3.
Caeli nitor. 10.
Caelestium laetitia ex IESV natiuitate. 64. 65.
Canticum illustre à Virg. editum. 44.
Canae Galilaeae nuptiae. 106.
CAROLI Borromaei studia. 140.
Cera fructus animantis Virginis. 77.
Cerea Februaria quid indicent. 77.
Cereorum illorum ritus unde. 77.

Cho-

Chorearum deteſtabilis uſus. 140.
CHRISTVS conceptus IIX. K. Aprilis. 40.
CHRISTVS, Auguſto imperante, natus. 42.
CHRISTVS paſtor. 67.
CHRISTVS in praeſepio natus. 56.
CHRISTI ortus ſigna. 60. 61.
CHRISTI ortus ab Angelis cātu exceptus. 60.
CHRISTVS quibus Coſs natus. 59.
CHRISTVM natum anhelitu fouent animantia. 63.
CHRISTI humilitas. 66.
CHRISTI Circumciſio. 67.
CHRISTI oblatio in tēplum. 72.
CHRISTI in Aegyptum exſilium. 78.
CHRISTVS ab Herode tutus elabitur. 81.
CHRISTI ab Aegypto reditus. 82.
CHRISTVS duodennis in templo diſputat. 87.
CHRISTI aerumnae, doloreſq., et mors. 127. 128. 29.
CHRISTI reſurrectio. 144.
CHRISTI aſcenſus. 141.
Cibus Virginis qui. 26.
Cleophas beati Ioſephi frater. 29.
Conceptio Virginis. 16.
Concepta Nazarethi Virgo. 16.
Concilium Hieroſolymitanum. 153.
Conſtantia Virginis. 132.
Conſulibus quibus Roma nis nata eſt Virg. 18.
Conſulibus quibus natus eſt IESVS. 59.
Conſulibus quibus baptizatus eſt.
Conſulibus quibus cruci affixus eſt
Conuiuiorum huius ſaeculi lautitia. 107.
Corpus Virginis animae prorſus obnoxium. 33.
Crux CHRISTI. 129.

DAVIDIS ciuitas. 55.
Dauidico è genere regio Ioachinus. 15.
Dauidico è genere Virgo. 15.
Dauidica è familia Ioſephus. 34.
DEI amore Virginem deflagraſſe. 22.
DEI filio nomen IESV inditum. 68.

Dolorum Virginis enumeratio. 133.
Domus Nazarena Virginis. 36.
Domus in Illyricum, et Picenum translata ab Angelis. 36.
Domus ad sanctam Sion.
Dyonisius Areopag. Virg. funeri interfuit. 165.

ELEEMOSYNIS Virgini alimenta praestita. 155.
Eleemosynis Apostolos nutritos. 155.
Elizabethae sterilitas. 44.
Elizabethae in utero infantis exsultatio. 44.
Elizabetha in decrepita aetate concipit. 44.
Euangelium ante omneis Virgini traditum. 27.
Euangelistae cur de Virginis morte, et assumptione nihil scripserũt. 160.
Eua ex Adae costa creata. 11.
Eua è paradiso eiecta. 13.

FACIES Virginis, et decor. 32.
Februario mense purificatio. 76.
Februaria quae. 76.

Filii post mortem cur hic relicta Virgo mater. 149.

GALILAEA. 91.
Genere sacerd. et regio Virgo orta. 15.
Genere regio Iosephus ortus. 34.
Gethsamene. 163.
Gloriae trhonus DEI mater. 30.

HABRAAE ex semine Ioachimus. 15.
Haereticorum sordes, et coenum. 111.
Haereticorũ caecitas. 110.
Haereticorum pertinacia. 110.
Herodes Idumaeus tyrannus. 18.
Herodes de CHRISTI conceptione celatur. 65.
Herodis spes à Magis praerepta. 77.
Herodis in Betlehemitanos infantes crudelitas. 81.
Herodem ne adeant, Magi ab Angelo monẽtur. 71.
Herodis è manibus infans IESVS elabitur. 81.
Hierosolymitanum concilium. 153.
Humilitas DOMINI nostri

sti. 69 93.
Humilitas Virginis. 25. 29.
Humilitatis laus. 25. 26.

Idolorvm Aegyptiorum simulacra collapsa. 82
Iesv nomen Dei filio inditum. 68.
Innocentum puerorũ caedes. 81.
Ioachimus ex Habraae semine. 15.
Ioachimus Nazarenus. 15.
Ioachimus ex tribu Iudae, et genere Dauidico. 15.
Ioachimus Virg. pater. 18.
Ioachimi aetas. 28.
Ioachimi mors. 81.
Ioannis Euangelistae puritas. 122.
Ioan. Euang. cognatus Virginis. ibid.
Ioan. mater Salome. 153.
Iosephus è familia Dauidica. 34.
Iosephus faber. 34.
Iosephi labor à Iesv puero saepe sustentatus 93.
Iosephus Virg. custos. 34.
Iosepho Virginis sponsalia praebita. 35.
Iosephus perpetuus Virgo. 35.
Iosephus virginitatis à spõsa uoto suscepto nõn abnuit, idemq. ipse nuncupat. 35.
Iosephus Virginem uti caelestem, et sacrosanctam dimittere noluit. 49.
Iosephi cum Maria virginale matrimonium. 51.
Iosephi Betlehemam profectio. 54.
Iosephi cum puero, et Virgine fuga in Aegyptum. 79.
Iosephum adit Angelus. 50. 78 83.
Iosephi mors. 99.
Iosephi anima Iesvm in lymbo exspectat. 106.
Iosephus ab Arimathaea. 142.
Iudaeorum clades à Virgine praedicta. 152.
Iudae auaritia, et crudelitas. 117.

Lacte, diuino miraculo, Virgo abundauit. 63.
Laurea spinea Christi.
Lauretana aedes translata ab Angelis. 36.
Lauretanae aedis sanctitas. 38.
Lauretana in aede concepta, nata, et ab Angelo salu-

salutata Virgo. 37.
Lauretana aedes Virginis simulacro ornata. 38.
Litteris Hebraeis Virgo erudita. 27.
Lunam solis splendore cō spergi. 10.
Lymbo excitatae piae animae. 146.

MAGORVM stella. 69.
Magi ad IESVM natum. 68.
Magorum itineris celeritas. 68.
Magi à Virgine scitè eruditi. 71.
Magis oblatus in somnis Angelus. 71.
Magi Herodes spem frustrantur. 77.
MARIA à Prophetis praenunciata. 14.
MARIAM quae praesignarint. 14.
MARIA illustrium Prophetarum propago. 15.
Eiusdem conceptio. 15.
Genus, et familia. 15.
Natiuitas. 18.
Infantia. 20.
Oblatio in templum. 20.
Pulchritudo. 20.
Statura. 32.
Signa in aspectu diuinitatis. 30.
MARIA sacratus DEI thronus. 30.
Templum gloriae. 21.
Pulcherrima. 30.
DEI thalamus. 43.
MARIAE aspectu iniectum concupiscentiae froenum. 33.
MARIAE in utero ex SPIRITV sancto CHRISTVS conceptus. 40.
Eius sponsalibus deceptus Satan. 52.
Eius illustre canticum. 22.
Eidem Virginum palma data. 23.
Eidem ante omneis Euangelium traditum. 80.
MARIAE, et Iosephi Virginale matrimonium. 51.
MARIA duodennis caelestem uocem excipit. 29.
MARIAE patientia. 80.
Fuga in Aegyptum. 79.
Dolor ob amissum filiū. 76
Modestia. 87.
Abstinentia. 94. 26.
Precandi assiduitas. 94.
Precatio ad DEVM illustris. 95.
Baptismus. 103.
Mors. 161.
Assumptio. 167.
Filii MARIA imitatrix.

trix. 103.
Prophetissa. 152.
Martyr. 137.
Ecclesiae architecta. 148.
MARIAE animus infractus. 136.
Spectaculum Crucis acerbum. 136.
Mira fidei constantia. 132.
MARIAE domus, et sedes. 153.
Matronarum Mediolanen. religio. 145.
MARIA Cleophae. 29.
Mors Virginis. 159.160.
Mors eius cur ab Euang. praetermissa. 160.

NATIVITAS Virginis. 18.
Natus IIX. K. Ianuarii IESVS. 59.
Natus Augusto imperante. 56.
Natiuitatis illius signa. 60.61.
Natum IESVM anhelitu fouent animantia. 56.
Nazarena domus. 36.
Nazarenus Ioachimus. 36.
Nazarena in domo saluta ta Virgo. 37.
Orta. 17.
Concepta. 18.
Illic è SPIRITV sancto CHRISTVM cōcepit. 37.
Nazarenus IESVS. 91.
Nazarethum in qua prouincia situm. 91.
Nuptiarum Virginalium exempla. 53.
Nuptias sua praesentia IESVS honestat. 106.

OCVLORVM sensus à Virgine diligenter custoditus. 24.
Oratio Virg. facunda. 24.
Otii Virgo inimica. 22.

PALAESTINA. 91.
Parentibus honor deferendus et pietas.
Parentibus honorem tribuit IESVS.
Parentes Virginis qui. 77.
In senectute eorum Virgo conceptam. 78.
Quo tempore emigrarint. 28.
Parentibus IESVS obsequens. 91.
Partus Annae diuino miraculo. 28.
Partus Virginis cur Satanae celatus. 33.
Partus Virginis absq. dolore. 64.
Pastorum de IESV testimonium. 60.

Pastor IESVS in praesepio natus. 67.
Portus hominum DEI mater. 4.
Portus ad salutem. 4.
Portus instar clausum ab ea mare teneri. 4.
Precatio Virginis maximè pia. 95.
Precãdi eius assiduitas 94.
Primogeniti qui dicantur. 56.
Propinqui CHRISTI qui dicantur. 103.108.
Prophetissa praestantissima Virgo. 152.
Propinquitas uera DOMINI cum matre. 108.
Puerperarum institutũ. 73.
Pulchritudo Virg. 30.
Purificatio Virg. 74.
Purificatio Februario mense. 76.

RELIGIO matronarũ Mediolanen. 141.
Resurgens filius matrem primum adiuit. 145.
ResurrectioCHRISTI. 144
Resurrectionis testimonia. 143.
Romae templum pacis collapsum. 60.61.
Romae natali IESV die ex fõte oleũ manauit. 60.61.

SALOME uxor Zebedaei. 53.
Salome Virginis consobrina. 56.
Ioannis Euang mater. 153.
Salomes in agro praesepium. 56.
Satanae efferata rabies. 8.
Satanae in nos odium insaturabile. 12.
Satanae deposita potestas. 66.
Idem de Virginis partu celatur. 34.
A Virgine uincitur. 65.
Virg. ac Iosephi desponsatione deceptus. 65.
Sepulcrum CHRISTI. 144.
Sepulcrum Virginis. 181.
Silentii Virgo maximè studiosa. 52.
Sion sancta. 153.
Sitis CHRISTI. 126.
Splendor Virginis latè diffusus. 65.
Solem à Virgine terris illatum. 3.
Solis nitore Lunam insperġi. 10.
Solis creatio. 10.
SPIRITV sancto Virgo ab infantia repleta. 22.
SPIRITV ex sancto in eiusdem utero conceptus IESVS. 140.

Spiritvs sancti sacrarium Virgo. 149.
Sponsalia Virginis Iosepho praebita. 15.
Stella Magorum ab aliis differens. 79.
Statura Virginis. 32.
Studia Virginis. 21.
Sibyllae responsum de Christo.
Sibyllarum erga Virginem religio. 61.
Simulacrum Virginis à D. Luca incisum. 38.
Simulacra Idolorum Aegyptiorum collapsa. 82.
Simeonis uaticinium. 75.
Simeonis gaudium. 75.

Templo oblata Virgo. 20.
Templo oblatus Emanvel. 71.
Templum gloriae Virgo. 21.
Timotheus Virginis exsequias honestauit. 161.
Terrae creatio. 10.
Trhonus gloriae Dei mater. 30.
Tribus Leuitica. 15
Tribus Iudae. 15.

Vallis Iosaphat. 153.
Vestitus Virginis qui nam. 27.
Vestis eius reliquiae. 27.
Vigilantia Virginis. 26.
Virginum exemplum Maria. 25.
Virginales nuptiae. 53.
Virginale matrimonium inter Mariam, et Iosephum. 51.
Virginitatis uotum à Maria susceptum. 42.
Virginitatis uotum nuncupatum à Iosepho. 35.
Virgo perpetuus Iosephus. ibid.
Virgo Ioannes Euangelista. 122.
Virgo Dei mater lacte abundat diuino miraculo. 63.
Virgo animans, apis. 77.
Vitae Virginis quae pars luctuosa. 114.

Zacharias summus sacerdos. 34.
Zacharias Elizabethae coniux. 44.
Eius in aedibus illustre cãticum à Virg. actum. 45.
Zebedaeus. 155.
Zebedaei uxor, et filii. 155
Zebedaei domus. 155.

MARCI FANNII.

QVÆ uirtus, placidæ quæ ſit concordia mentis,
Qui caſto mores eniteant animo,
Demonſtrant puræ ſanctiſſima Virginis acta,
Conſtans atque pio uita dicata DEO.
Hæc deſcripta tibi, ſummoq. ornata lepore,
Vincemala inſigni pro pietate dedit.
Ille roſas meruit primo data dona labori,
Nunc cingant nitidum lilia pulchra caput.

Eiuſdem.

Optime lector ades, tibi munera ſacra parantur,
Quæ praeſert titulo candidiore liber.
Perlege, quàm caſti fuerint in Virgine mores;
Quæ mens, quale piæ ſedulitatis opus.
Perlege, et eximios uirtutis percipe fructus.
Vincemalæ exemplo vincere diſce malum.

BERNARDINI BALDINI.

SIQVIS non dubie dignoſcere vera laborat,
Ex iſto potis eſt hæc didiciſſe libro;
Si caſte cupit, et ſincere degere uitam
Virginis huic eſto vita magiſtra piæ.
Si ſtylus huic cordi eſt Tulli, ſermoq. latinus,
Vincemalæ culti ſcripta uenuſta legat.
Hinc verum Vitæq. genus, linguæq. leporem
Diſcere quis dubitet, ſi modo ſanus homo eſt?

FRANCISCI TABERNAE CONSOBRINI.

VIRGINIS hæc dum geſta canis, dum et uirgine creti
Qui nos ex orci faucibus eripuit;
Dumq. ortus narras, et quos habuere parentes
Vtriq., et uarios conciliare ſtudes;
Ars ne tibi, an pietas ſit maior, quippe perennis
Lis nullo eſt nobis concilianda die.
Dicam, ſi tamen oret quis me iudice, nunquam
Has in te miro non micuiſſe modo.

Nemo est tam lynceus, cuius oculos admissi ab impressoribus errores quandoq. non effugiant; tam multi in conspectum proferuntur. exceptis paucis quibusdam, qui hic adscribuntur, reliquos eruditi lectoris iudicio permittimus.

pag.	39	illic. rep.	illuc
	24	auribus accederet.	acciderer.
	26	thronum	trhonum.
	35	sponsalia exhibuit.	praebuit.
	65	harundinibus	arundinibus
	76	caremoniis.	caeremoniis.
	77	significantur.	significatur.
	82	inflectuunt.	inflectunt.
	86	effufa	effusa
	87	obmuescere	obmutescere.
	91	ex Syria	Syria
	117	perditissimis	perditissimus.
	134	lancea	lanceam.
	136	Virginale	Virginalem.
	142	Abarimathia	ab Arimathaea.
	143	Exsequuis.	exsequiis.
	143	aegritudinem	aegritudinum.
	143	post uerbũ, resurgentẽ filium, adde uerbum, uidit.	
	146	dele uerbum,	ineunte.
	154	cleemosinae	eleemosynae
	155	Stelles	Stellis
	171	sacerdotalium	sacerdotalem
	172	sopremo	supremo.

GREGORIO XIII. PONT.

CAROLI. BORROMAEI. CARD.
ET. ARCHIEP. SACRAEQ.
INQVISITIONIS. PERMISSV.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L.

Omnes ſunt quaterniones.

MEDIOLANI.
Apud Paulum Gottardum Pontiũ.
CIↃ IↃ LXXXII.

